6
11-c
70

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
5 A
22

liotheca
oll. Rom.
. Jesu
22-2-34

6-11-6-70

PANEGYRICI
HEROVM

Varia antehac manu ſparſi.

Nunc

AB AVCTORE PROPRIO.

P. CASIMIRO WIIVK

KOIAŁOWICZ

SOCIETATIS IESV. S. T. D.

In gratiam Iuuentutis ſtudioſæ in vnum collecti.

VILNÆ Typis Academicis Soc; IESV Anno 1668.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS

Ego ALBERTVS CIECISZEWSKI Præpoſitus Prouincialis, per Prouinciam Lituaniæ Societatis IESV, concedo facultatem, ut Panegyrici P. Caſimiri Koiałowicz, eiuſdem Societatis noſtræ Sacerdotis, antehac cum approbatione ſuperiorum impreſſi, reimprimi poſſint. Datum Vilnæ in Domo Profeſſa 14. Maij 1668.

ALBERTVS CIECISZEWSKI
S.I. manu propria

BIBLIO. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ILLVSTRIBVS

ILLVSTRISSIMÆ FAMILIÆ
Sideribus,
Nobilis ſpei, orienti Auroræ,
Ingenuo Pari Fratrum,
MAGNIFICIS ac GENEROSIS DOMINIS
D.D. MICHAELI & CONSTANTINO WOYNA

Tribunid: Vitepſc: Propalatinid: Vilnen: auctor ſalutem.

Heroum Panegyres, olim per me uariè ſparſas, nunc vno faſciculo reuinctas, vobis dedico, Illuſtriſſimorum Heroum, *eximiæ propagini, heroicæq; iuuentutis, candenti decori. Legetis hoc libello non pauca, quæ à ſe viſa, ſæcula præterita, ſibi gratulabantur: quæ ſi experiantur futura, beata erunt: atq; ut experiantur non leui parte, efficere poteritis. Magna etenim pars, ut ætatis veſtræ, ita publicæ felicitatis ante vos eſt: utramq; peruaſuri, nuſ-*

 quam

quam ſecurius, nuſquam laudabilius, nuſquam publico bono commodius, paſſum figetis: quam ſi omnium plauſu, probatis heroum paſsibus inſtiteritis, & ea, quæ facta legeretis, faciendo, ad veſtram imitationem ac demum laudem transtuleritis. Nunquam heroum virtus, priuatis incluſa degit parietibus, nec unquam ſuo bono viuit, ſed omni, omnium hominum profutura ætati. atq; conditioni, publicum petit: adeoq; ipſis, cineribus flammas fouet, quarum luce emicante, perfuſi animi; dubio procul, & procul erroris periculo, laudabile gloriæ iter proſequuntur: Hac vos lucem, per exempla heroicorum geſtorum memorata, ſparſam, cum reſpexeritis; iter glorioſum generoſo impetu occupabitis, premetis, ſuperabitis: honeſti nobili amore, ceu ſagittis natalitiis, contra omnia recti impedimenta, apprimè muniti. Neq; tamen id velim, ſolū in hero-

um glorioſiſſimorũ luce contemplemini, quod in poſterum veſtrum faciatis, sed & illud, quod ab Illuſtriſſimis maioribꝰ veſtris occupatũ, domeſticũ factum eſt. Nõ *ex vano ſtẽma veſtrũ gentilitiũ, luna, & ſideribus illuſtre ſpectatur: sed luxiſſe, atq; lucere Woyniano ſplendore, terras, ut luna & ſtellis cælos, glorioſè indicat. An etiam illud ſimul prodit, ut primo condito cælo, mox illuxêre ſidera: ita cum primá patriæ communis origine, Woyniana à* Principũ Ruſſiæ *ſanguine, glorioſo ſumpto ortu, claruiſſe decora?* Ita *eſt equidem. Veſtram igitur quoq; lucem, quia veſtrorum maiorum, in luce heroum ſpectate, veſtram gloriam, in eorum gloriá, veſtram fortitudinem, ſapientiam, pietatem in Deum ac patriam, in pulcherrimarum virtutum lineamentis, noſcite. ſed imprimis occurrat vobis Atauus veſter,* Illuſtriſſimus Conſtantinus,

Woyna Palatinus in Luki. Proauus, Iuanus laſieniecki Woyna, Palatinus *Smolēſcenſis*. Auus Perilluſtris Cōſtātin Woyna Notarius *V*itepſcēſis Terreſtris, *vera patriæ ſidera, glorioſæ libertatis lucentes flammæ, eximia cæli Lituani ornamenta. Facilius verò quia è propinquo, ad veſtra commoda laudatæ virtutis documenta, transferretis: ſi lecta inſpecturi, mentem, ad inſignem ſublimis animi & meriti typum*, Perilluſtrem parentem veſtrum, Tribunum Vitepſcenſem. Vilnenſem Propalatinum *reflexeritis, virum utiq; parem* Alexandri *nomini, parem generis amplitudini, parem maximis rebus gerendis, & ſine ambitionis ſtrepitu, glorioſo ſilentio premendis. Non ſupplicat pro numo qui diues eſt: nec ambit laudes, vir emeritus, ſed fructu meritorum intra animum collecto, tota*

gloriæ ſuauitate, ſine diuiſionis imminutione fruitur. Vt enim fons per riuos diſtractus languet: ita egregiè factorum laus, per aliorum aures tumidè diffuſa, ſiccatur & deficit. Sit itaq; eximiè glorioſum, humanitate pariter ac autoritate, inter nobiliſſimos viros pollere: gentilij ſanguinis decus, non modo virtute integrâ, verùm multùm auctâ ſuſtinere: grandibus Reipublicæ conſiliis, in comitiis Varsauienſibus legatũ à Prouinciis multoties ſubueniſſe: ſupremi in magno Ducatu Lituaniæ Tribunalis ſubsellia, magnâ dignitate, atq; iuſtitiæ plausu obtinuiſſe: maior omnibus generosa mens, quemadmodum bono publico, se libenter impendit, ita factorum solatia extra se, per suffragia non captat. Huic, totiq; Heroum Senatui, ita uos iungetis, ſi cum ætate, virtutum & gloriæ optata incrementa

ſu-

ſumatis. Spē Loquor, an rem noto? cum ætatem veſtram gemmantem, florentem virtutem intueor: cum herbam in in annis, ſpicam in moribus præfertis: cum literarum bonarum cultu, uterq; ad humaniora ſtudia, alter ad illuſtre (cuius liber hic, umbram iacit) eloquentiæ decus, enitimini: cum pietate in Mariano cœtu cæteris adeo præcellitis, ut alter pluribus, alter communi ſuffragio omnibus prælatus, iiſdem regendis præfectus ſit. Premite animosè cœptum gradum. Hac itur ad Heroum gloriam, hac aſcenditur ad ætatum Panegyres, quas ut mereamini, & ſeratis, ex animo vouet.

Veſtris Dominationibus

ſincerè addictus

P. CASIMIRVS WIIVK
Koiałowicz S.I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PANEGYRICVS

In Laudem Summorum Pontificum, qui Societatem IESV confirmarunt. Vilnæ Anno ſæculari eiuſdem Societatis. A partu virgineo 1640. *Nomine Academiæ.*

AD veſtros demum beatiſſimos pedes, grata triumphati ſæculi veneratio advolvitur Pontifices Optimi Maximi; vt quorum excitata cultu, ſupra temporum conſtitit calamitates: ad eorum proſtrata complexum, ſupra ſuam, ſe attollat, magnitdinem. Magna hæc ætas Societatis, infra plantas veſtræ maieſtatis iacet, quia omne animorum noſtrorum ſtudium, excolendis liberalitatis veſtræ muneribus impenſum, vix ima beneficentiæ veſtræ attingit veſtigia. Diues quoq; illud inopum penu. *Gratiæ*, ita aſſumpta beneficiorum veſtrorum recordatione exhauritur: vt vſitatum illud, Agimus gra-

tias, Devovemus animum, per violatam beneficij dignitatem, erumpere, videatur. Sint pij qui profuſo affectu, ſint grati, qui magnis votis beneficia proſequuntur; nobis vtriuſq; facultatis poteſtatem, debiti abſtulit magnitudo. Cum enim gratiæ nihil in ſe contineant, præter collatum beneficium, illudq; in teſtimonio grati animi, tanquàm noſtri affectus pignus, præſentemus: nonne de veſtro ærario, propria redimimus debita? Dando itaq; pariter, & accipiendo obligatis, immo, quos gratos dando beneficium feceratis, ingratos facitis, accipiendo gratias; propter beneficij auctionem. Malumus tamen ingrati videri, inter gratorum officia, quàm inter deſidiam ingratorum: malumus, confeſſione vocis, ſub affectu laborantis, loquendo damnari; quàm ſub ſilentio timidæ conſcientiæ, rei pietatis leſæ, deliteſcere. Permittite igitur PP. OO. ad veſtros pedes nos adſterni, permittite ingenium labi, permittite Orationem per terram ſerpere. Hoc demum caſu, ad audaciam venerationis vniverſi aſſurgemus, hoc impetu, ego deiectus, vocē ad teſtimonium beneficiorum è pectore elidam & rationes, quibus hoc ſeculum vobis debetur, numerando, veſtram liberalitatem collecta Societatis vniverſæ affectu adorabo.

Tuæ gloriæ primus honor cedat, Cæli decus, terrarum amor, Pontifex Maxime; Paule Far-

neſi

neſi; quem orbis hoc nomine tertium, Societas primum Pontificem adoravit. Vide iterum pro nos tibi accidiſſe quos ſemel approbatione erexiſti, atq; in gradu confirmaſti. Non ſolus profecto coram te iaceo: verum multos Duces ſequor, multos comites, hac feliciſſima ruina, ad cultum tui inclino. Quod verò exiguo corpore ſub aſpectum veniam, tui faſtigij præſtat ſublimitas. Ex alto culmine plana deſpicientibus, etiam maximæ moles, parvæ uidentur. Vis capita adorantium cenſeri? innumera ſunt, ac tot, quot homines, immenſa poteſtate tua intercepti, ſimul cum D. Ignatio patrente ſuo, ſub dignitate tua iacuerunt. Tum enim ſecula prona tibi accidêre, tum Provinciæ Imperio tuo ſe ſubiêcere, tum perpetuum duraturo cultu, poſteritatis animi, ſub plantas tuas ivêre. Non poterant à capite integro, membra avelli, cum divina tua virtute, corpus Societatis erigebatur. Quæ verò amplitudo orationis, tuæ benevolentiæ ſinum expleat, quo, tot populos, tam latè diſſitas nationes, tam ingentis amplitudinis provincias, ante te prolapſas, è terra inter brachia collegiſti? ſimul enim nos tuæ dignitatis maieſtas, in terrâ deiecit, ſimul tuæ pietatis affectus, ſinu paterno excepit: vt te parentem Societatis, non ex eo tantùm agnoſceremus, quòd nos publicæ Orbis luci edideris, verùm etiam ideo amaremus,

quòd infantiam noſtram in ſinu tuo geſtaveris. Iiſdem manibus, quibus orbis incumbebat, tractabamur, eadem pietate alebamur, eadem conſervabamur ſapientiâ, potentiâ defendebamur. Quis tum illam, decem virorum exiguitatem contemneret? qui occupatum in tuo animo orbem impleverant? Quis humile augurium, in fortunatiſſimis auſpicijs non abijceret, cū in tuis manibus, intra Indias Iaponiamq; XAVERIVM, intra Luſitaniam Simonem Rodericium, intra Hiſpanias Fabrum, intra Italiam & Venetias Lainium, intra Hiberniam Salmeronem & Paſchaſium, intra Germaniam, Iaium & Bobadillam, intra Italiam item Ioannem Codurium, intra orbem, Ignatium ſuſpiceret. Poſtquam vero tantùm benevolentiæ in recipienda Societate & approbanda impendiſti quam admirabili ſapientiæ invento, ſupra vota iudicium extuliſti, cum divinæ authoritatis graviſſimo elogio, Digito Dei leges Societatis ſcriptas aſſerviſti. Et verò, quis prudenter diſentiret, ijs decretis Dei digitum adeſſe, quæ tuis manibus tractarentur. Pontifex quippe Romanus, brachium, quo DEVS mundum gubernat, iure cenſetur, Vbi autem brachium, ibi manus, ubi manus ibi digitus. Liberet hic, liberet uſq; quicui immorari, & tatis parentum amplexib9 immoriꝛeu tamen Beatiſſime Pontifex, tantiſper non ab honore tuo aut veneratione, quam nos
hiſcum

biſcum ſemper circumferemus, verùm à nomine, libertatem recedendi permitte, vt te ſæpius in pluribus veneremur.

A Paulo igitur ad Iulium Tertium tranſmiſſa Societas, hoc ſolo nomine deſideravit Paulum, quod ſucceſſor ſimillimus, ſui conſpectu ac exemplo, memoriam anteceſſoris cum deſiderio revocaret. Dignus uterq; Orbis imperio, dignus vitâ communi, ſi orbis tantæ amplitudini, ſimul ſuffeciſſet. Societatis porro Tutelarem curam prius admiſit, quàm faſces Romanos Iulius, eamq; purpurâ involutam, ſecum ſolio intulit. Ingens tum ſpes felicis progreſſus effulſit, impar autem ſpei ſecutus eventus, quia maior. Ita enim amoris ac benevolentiæ munera diſpenſavit, vt beneficiorum magnitudinem, vinceret dignitate. Annus erat Sacer, quo pietas cælo litat, & luſtratis ritè animis, Vicariam Dei poteſtatem, in Vrbe adorat: cum ſociorum ſtudia per remotiſſimas diſperſa regiones, orbis ſaluti vacarent; nec ſine gravi multorum incommodo, invitantem temporis commoditatem, Romam ſequi poterant. Sollicitus pro ſumma caritate IGNATIVS, Pontificem adit, Sociorum abſentiam Oratione præſentat, ac pro ea ſupplicat. Admiſerat iam illos Pontifex Optimus, non ad vrbem modo, verum etiam ad ſuæ poteſtatis uſum, atq; ideo, hilari vultu, ad IGNATIVM

converſus ſocios inquit; *animo meo nunquam abeſſe intellige, quibus hac parſimonia, quod petis impendo vt omnnem meam poteſtatem, hac in re cum Societate veſtra diviſam velim; liceatq; ſocijs veſtri ordinis, ad facultates Vrbis promerendas, quidquid viſum fuerit, aſſumere.* Novum ſanè & admirabile beneficiorum genꝰ queparſimonia liberalitatē vincere: pulchrum atq, inuſitatum; beneficium, accipientis manibus, non comprimere, verùm liberum ad alios permittere tranſitum. Suſpexerit itaque P. O. Roma, in te cariſſimi olim Principis ſui. T. Veſperſiani genium, cū ad revocandos dies, ſine beneficio, non perditos, ſed elapſos, noctu excubias ageres, maximèq; doleres, quòd accepturi, tecum non vigilarent: in Societatis poſteritate antiquitatem tantæ beneficentiæ ipſe fundaſti Quid etiam memorem. redditum a te Orbis admirationi magni Macedonū Regis exemplum, tantò illuſtrius, quantò maiori virtute cumulatius? cum accepto rumore de vaſtiſſimo Indiarum Imperio, & religionis orthodox,æfelici in eo progreſſu,pietatem cum lacrymis effudiſti. Ille ad memoriam huius Orbis flevit, vt terras ambitione abſorberet, tu ut terræ ſceleribus ſupernatarent: ille ut Oceani aquas, lachrymis devictarum Gentivm augeret,tu vt ſquallorem perfidiæ ablueres. Itane verò laudibus tuorum factorum immorabor,

rabor. cum vix numerando ea recenſere poſſim? Vt perpetuos reditus pietatis tuæ perciperemus, Salmaticenſi Collegio. Septingentorum aureorum, Romano, mille quingentorum, cenſus attribuiſti; vt in tui memoria ſemper hæreremus, Ceſarauguſtæ ampliſſimum domicilium addixiſti: ut tua liberalitate ſuſtentaremur, inopiam ne ſæviret mulctaſti, impoſito D. IGNATIO obediendi ſacramento, ad auxilia quoties neceſſitas exigeret à te ſumenda: denique Collegio Laureti inſtituto cum Hieroſolymis, Conſtantinopoli, & in Cypro fundationem eorum decreviſſes, ab immortalibus monumentis, tuam immortalitatem inchoaſti.

Non audeo amplius mortali voce immortalia Iulij beneficia proſequi, quin ad tui Pontificatus feliciſſima auſpicia me convertam Marcelle ſecunde, in quo perennare velle Iulius viſus, propter paria virtutis inſignia & clariſſima æternitatis argumenta. Te Pontifice electo, fata defuncti, tuis triumphis Roma excitavit: Societas vero deſiderium illius, tua gratulatione commutavit. Te IGNATIVS vniverſæ Societatis voce ſalutavit, tu in IGNATIO omnes complexus ſacri oris oſculo beaſti: ac Pontificatum, ita tibi probari aſſerens vt Societatem approbares, Socios Romanos ad te perduci imperaſti, vt affectus tui pietatem in ſin-

in ſingulos tranſfunderes at heu cælorum invidiam nimium uirtutis avaram! quæ te noſtris complexibus eripuit! Pertinebat nimirum hoc etiam ad approbanda orbis de te iudicia, vt quem ille ſupra faſtigia humana, ampliſſimo iudicio evexerat, cælum ad ſe reciperet.

Inſtitutum interea Societatis trium Pontificum munimentis ad perrennem conſtantiam firmiſſimè roboratum, in cenſuram patrum purpuratorũ vocatum eſt, vt plurium ſententijs dignitas eius augeretur. Explicuerunt ſe animi iudicum, cum illud laudibus auctum, intra antiquam depoſuêre ſecuritatem. Nemo itaq; iam dubio cultu ſanctitatem religionis colebat, nemo integritatem, imperfecta ſuſpiciebat admiratione: moveri tamen aliquando ſopita invidia poterat, niſi addita rurſus confirmatio Pij IV. eam obruiſſet. Inveniſti in perfecto opere Pontifex Optime, quod perficeres, & robur, viribus roboraſti. Quod ſi in exiguarum quoq; rerum incrementis, authoris gloria creſcit, quanta ad cætera ingentium tuorum factorum merita acceſſio facta, cum opus omnibus numeris abſolutum, adauxiſti. Hoc demum eſt magnum eſſe, non humilia, ſed ſumma; vincere. Extuliſti tamen altius beneficia tua, quos firmaveras ornaturus, Lauretano Collegio, cenſu copioſiore, & libertate

ſacra aucto. Fiet idcircò, ut tuis præſidijs cincti, nunquam expugnemur, ſed neq; tu noſtris te ſubtrahes partibus, Iiſdem, quibus noſtra integritas, inviolata cuſtodietur præſidijs, tui quoq; nominis dignitatem à temporum occaſu defendemus; quā licet tibi orbis vniverſus polliceatur, gratum tamen Societatis ſtudium admittes, vt cui te, tam liberaliter in vitá impendiſti, eam vniverſam poſt obitum poſſideas.

Accedes, fatorum & dignitatis comes Pie Quinte Pontifex, & qua dignatione maieſtatis tuæ affectum ad Societatem confirmandam inclinaſti, eadem ad gratias immortali obſequio ab ea tibi pendendas, demittes. Scimus nullum verè gratum eſſe, qui aliquando gratus eſſe deſierit; nullum memorem debere cenſeri, qui oblivionem beneficij admiſerit: quòd beneficia æternitatis pretium ſint, non præmium temporum. Venerabimur igitur perpetuò admirabilem tuæ virtutis amplitudinem, & ſuavē morum ſeveritatem, quæ ſemper, integra ſemperq; ſui ſimilis Magiſtratum Romani imperij, ante tuam dignitatem, advolvit: prædicabimus humilem in ſummo gradu excellentiam, quæ, cum infra vaticanum culmen animum deferres, ſupra illud te extulit. vt non Pontifex tantùm Optimus audires, quòd ſummi in terris honoris eſt; verùm etiam Sanctus, quòd ad

cæleſtis gloriæ encomia pertingit. Et verò quo pacto fieri poterat, vt animo labereris qui pietate tua ad ſuperos à mortalibus provecta, Dei Matrem MARIAM, ſuſpicione peccati, in ortu primo contracti, amplius in publicis concionibus, atq; certaminibus doctorũ notari, decreto prohibuiſti? Rependit illa hanc tibi gratiam, ſanctitatis tuæ opinione ingenti, in mentibus humanis excitata: auxit vero, ad imitationem meriti, natura tibi famulari coacta. Hinc enim credo proceſiſſe, vt quemadmodum tu, illæſum D. Matris honorem conſervaſti, ita flammæ inter ceptam tuam imaginem integram foverent: Hinc ortum, ut quemadmodum tu, victoriam de hoſte Generis humani ab ea reportatam, ſupprimi vetuiſti: ita victoriam de Chriſtiani imperij hoſtibus, tuis auſpicijs relatam, cælitus agnoſceres. Hinc venit, vt crudeliſſimus inferorum Tyrannus, cui nihil in Matrem Dei poteſtatis permiſſum voluiſti, non ad præſentiam tuam tantùm, verùm etiam ad ſigna, velut vmbrá Apoſtolicam è corporibus afflictis ſe proriperet. Vtinam verò tam admirabilium operum tuorum venerationem perpetuò tibi delaturi, eâ gratiâ orationis polleremus, quâ aut Benedictus Palmius, aut Alphonſus Salmeron, aut Franciſcus Toletus, primi è Societate vaticanis concionibus per te admoti, apud te val-

verunt

erunt, intelligeret profecto orbis, nobis ſtudium grati animi non deeſſe. Interea ex inopia ſermonis, & Societatem inter mendicantes ordines à te repoſitam & Collegium Vaticanæ Pænitentiariæ, Societati attributum, & iudicet promovendorum ad Sacerdotium, ex eadem Societate aſſignatos ſilentio prætetite debemus; ita tamen vt nunquam de tuis beneficijs taciturі ſimus.

Quo verò encomio tuam dignitatem celebrem Gregori Pontifex, qui auctum nomen decimi tertij Pontificis titulo; pari maieſtate impleviſti? Hæret ad memoriam tui attonita cogitatio, & beneficiorum amplitudine vndiq; ſepta, primum non invenit. Erumpam tamen per invia; & quod voce exprimere nequeo, digito terrarum vniverſitati monſtrabo. Hic eſt ille Gregorius, Pontificum ſydus, Latij ſplendor, orbis Pater, Eccleſiæ ſponſus, terrarum oraculum. Hic eſt ille Gregorius, qui Orbem beneficijs implevit; qui Auſtriam, Syriam, Bavariam, Bohemiam, Moraviam, Tranſylvaniam, Poloniam, Litvaniam, Pruſſiam, Livoniam, Britaniam, Scotiam, Angliam, Hiſpaniam, Galliam, Belgium, munificentia complexus, ne intra limites terrarum ſuæ amplitudo charitatis clauderetur, in vltimas orientis plagas, trans Caucaſum & Indos liberalitate eſt provectus. Hic eſt ille Gregorius, qui viginti tria Collegia in uarijs terrarum partibus erexit, ditavit, cenſu perenni locupletavit. Hic eſt

le Gregorius, qui vicies centies centena millia nummûm aureorum, præter diurnas impenſas, in Pauperes effudit, qui fortunas exulum Chriſtianorum Romæ ſuſtentaturus, ſex ſeptéue millia aureorum, per ſingulos menſes impendit, qui Carolum nonum in Gallia Sebeſtianum tertium in Luſitania, Rodulphum Imperatorem in Germania, Philippum Secundum in Hiſpania, Melitenſium deniq; Magiſtrum, opibus, atq; manu militari, pro rei Catholicæ incolumitate communivit. Hic eſt ille Gregorius, cuius nominis fama, nulli retro Pontificum, nulli Imperatorum ſubdita Regna, ad adorandum eum excivit, cum Deum in novo orbe natum, in eius vicario tres potentiſſimi Reges, Franciſcus Bungi, Protaſius Arimanorum, Bartholomeus Omuranorum Rex venerarentur. Hic eſt ille Gregorius Sanctus ſenex Ieroſolimiticus; qui cum intra vlnas Deo plenas, tenera Eccleſiæ hoc eſt Chriſti membra ex voto ſuſcepiſſet, aſſentiente Cælo, reclamante terra, poſt pignora cæleſtia viſa, dimitti in pace petijt, & ingenti gloriæ apparatu, Sanctiſſimo viro è familia D. Franciſci nihil de eius morbo, ne dum morte ſuſpicanti apparens, tam liberaliter cælo animum impendit, quàm profusè terras beaverat. Quo verò ille affectu Societatem proſecutus ſit, ſufficienter rem ediſſeram, ſi dixero, Gregoriano.

Quæ

Quæ promittere nobis ab eo poteramus, deſiderari non eſt paſſus, quæ deſiderio aduocabamus, celeritate beneficij vicit. Hoc munificentiæ nomen, Collegium Societatis in vrbe erectum, hoc aliud in Tranſylvania fundatum, hoc tria apud Iaponios inſtituta, & perpetuis redditibus dotata, hoc plurima Societatis Regimini addicta, grata fronte oſtentant. Gregorius Socios ad Regé Sueciæ religioni veræ reſtituendũ miſit. Gregorius Ducem Moſchoviæ ad Romanum imperium cũ fide orthodoxa ſuſcipiendum, per eoſdem invitavit. Gregorius ad Iapones convertendos Sociorum opera vſus, duodecim ab Europa eo ablegavit. Gregorius Agamalæ Archiepiſcopum, Eccleſiæ per Socios reditum, Socijs Maieſtate Apoſtolica per Legationem Impoſita, Agammalam in ſinum Chriſti recepit. Gregorius denique bis Societate comfirmata, ſemper eam integram ornatamq; curavit. Fovent autem hoc admirabilis munificentiæ ac pietatis nomen, ſingulari animorum ſtudio, grata Academiæ Vilnenſis monumenta, ad titulum dignitatis literariæ ſupremum ab eo provecta, & tota vniverſitatis ſuæ gloriâ, decus Gregorianũ elaborant. In qua quidẽ Academiæ cura, illud tibi Pontifex Optime audaci ſpiritu ſpondeo, quod tu vnicè ſemper optaſti, parem tuæ expectationi eruditionis ac pietatis cultum, paremq; tantis meritis immorta-

litatem

litatem. Ne enim vnquam beneficiorum tuorum memoria ſopiatur, imò nè vnquam beneficus eſſe deſinas, Academia beneficijs tuis, animos informat Immortales. Quanta etiam ſpe quantiſq; animis aſſurrexit Societas, oblata tibi concordibus ſuffragijs ſucceſſione honoris, Gregori Decime quarte, cum ex cariſſimi nominis auctione, incrementa fortunæ ſuæ ominaretur. verùm maturior Virtus tua erat, quam vt inter efflorefcentia vota noſtra, vigorem colligeret: ideoq; ſpei flore decerpto, adultos meritorum fructus, cælo nimium cito intuliſti: vt tamen terrarum iudicio certum tantæ dignitatis relinqueres argumentum inter ipſa exordia Pontificatus tui, terminum noſtris votis fixiſti, dum Societatem confirmares: ſatiſq; clare oſtendiſti, quantum à longiori vſu vitæ tuæ, expectandum foret, cum vnius anni ſpatio æternitate occupata, Societatis in ea conſtantiam perenni dotatione locares.

Tibi porro à ſuperis vltima Societatis perfectio debebatur Paule Quinte P. Optime, vt quæ à Paulo proceſſit, in Paulo etiam conſiſteret. Impietas nimirum, audaci Spirituum contumacia præceps: & Religionis munimenta, ſæpius tranſiliens, Romanæ poteſtati in ſultavit donec te Romulum divinitus imperio deſtinatum, in vulneribus ſuis ſenſit. Profligata enim in Gallia tuis armis cum hæreſi, ſanguine criminum

eluit,

eluit, morte audaciam oppreſſit. Spirabat tamen adhuc in poſteris, nec Societas tutò conſiſtebat, niſi ſub tuo,quo defendebatur brachio. Itaq; magnum operi impoſiturus, Societatem ſublatis omnibus inuidiæ atq; improbitatis obicibus, in antiqua ſtatione confirmaſti. Inde ad provinciarum ſubſidia conversus, cum laborantem in Religionis Romanæ cauſa apud Indiæ Orientalis Regem Serræleæne, Balthaſarem Bareorum; & apud Eliam Patriarcham Babylonium, Antonium Marietam unum e Societate auxilijs cumulaſſes, apud Sinas Mattheum Riccium inuſitatis fovisti benevolentiæ teſtimonijs, & Societati eas partes incolenti, ampliſſimam Bibliothecam erexiſti. Tuam igitur illa in ſacris Exemplis pietatem, in munificentiæ encomijs liberalitatem, in eruditionis monumentis ſapientiam leget. Te intra magnas heroum vmbras vivum ſuſpiciet, vt communem eorum habeas æternitatem, quorum memoriam in libris perennabis.

Sic firmata, propagataq; Societate, cum Gregorius Decimus Quintus orbis ſacra gubernacula ſuſcepiſſet, cæleſti honore eam auxit, DD. IGNATIO ac XAVERIO in Sanctorum numerum relatis. Vere Pontifex, qui Cælis cives addidit, vere Princeps orbis, qui orbem ſupplicem ad adorandos Divos in genua depoſuit, vere Societatis Parens, qui univerſos in parente

eſt

eſt complexus. E cælo laus petenda eſt, quæ tua in cælites beneficia Pontifex Optime comple-ctatur humana encomia per terram ſerpunt. Neq; dubito fortunatiſſimum illum diem, quò terrarum orbis, primùm Divos adoravit, tuis encomijs apud Superos extitiſſe glorioſum, & immortalitatis beatæ inchoaſſe auſpicium.

Tantùm illo opere egiſti, vt ſuperos ad beneficiorum certamen provocares, atq; ideò vota ſupplicantium, quæ animaſti: venerationem, quam ſuſtentâſti, votis pro tua dignitate ſuſceptis exceperunt, ſuffragijs tibi addictis refuderunt. Cum deiecti ad cultum, mortalium animi, Divorum honorem ſtatuis erigerent, tu in aſtris ſecabaris: cum ante aras pietatem conſecrarent, tu coram ſuperis ſiſtebaris: cum imaginum ſpirantes vultus ad vitam, & exempla per oculos ad animum intromittenda ſuſcitarent, tu menti Divinæ proponebaris. Non omen illud erat, ſed facti teſtimonium, quòd nepos tuus Eminentiſſimus, alter Tu noſter, Ludovicus Cardinalis Ludoviſius, erecto D. IGNATIO ampliſſimo templo, in numiſmate impreſſit. *Ludovicus Cardinalis Ludoviſſius* S. R. E. Vicecancellarius S. IGNATII templo, vbi Patruus Gregorius ad ſapientiam adoleverat deſignato, illi ex hoc gloriam, huic ex illo ſuffragium quæſivit.

Allabitur iam ad te prona Oratio VRBA-

NE

NE OCTAVE Pontifex Optime Maxime, ſupra cuius patrocinium integrâ ſui mole Societatis ſe inclinavit ſæculum: vt te mortalibus datum, ad ſuſtentandam deſeſſorum temporum gravitatem, cum in ea virtute, quâ concuſſum orbem admirabiliter fulcis, tum in hac quâ Societatem tueris protectione, vniverſi veneremur. Tua eſt virtus, quâ tam longas ſæculorum, ac hominum iniurias vicimus, tuum robur, quo nos, irruentibus ſæpe regnorum oneribus ſuſtentavimus: quia & ab eius poteſtatis, quam fers, patrocinio integritas noſtra eſt defenſa, & in tua dignitate demum conſtitit. Intuere nunc mente tuâ, cælo pari, vt illi magni Spiritus, Paulus Tertius, Iulius Tertius, Marcellus Secundus, Pius Quartus, & Quintus, Gregorius Decimus Tertius, Decimus Quartus, Paulus Quintus, Gregorius Decimus Quintus, Societatem à ſe defenſam, ornatam, firmatam, in tuo ſinu requieviſſe gaudent: vt cœleſtium cohortium Duces, Ignatius Xaveriuſq;, ac cum ijs Franciſcus Borgias, Aloyſius Gonzaga, Stanislaus Koſtka, illiq; tui, Ioannes, Paulus, Iacobus, tibi ſuos honores deferunt, vt item, Iacobus Laines, Everardus Mercurianus, Claudius Aquaviva, Mutius Vitelleſcus Generales Societatis, ſupra trecentos viginti, in Religionis ac pietatis cauſa occiſos, ſupra duo millia aliquot, ingentium ac perfectorum voluminũ ex eadem Soci-

etate ſcriptores, ante tuam maieſtatem depo-
nunt, vt vniverſi tui memoriam centenarijs
excolunt honoribus, Quod ſi è more maximo-
rum Principum, id eſt tuo, ad ſubiectas tuis
pedibus ditiones aſpectum inclinaveris, vide-
bis intra ſolium tuum, Europam, Aſiam, Affri-
cam, Americam, Indias, Iaponias, Sinas, aliaq;
regna plurima ac maxima, quorum incolæ So-
cij, affectum, induſtriam, eruditionem, virtu-
tem, labores, ſimul tibi præſenti cultu ſubijciunt.
Futura quoq; pariter cum elapſis, ac noſtris ſæ-
culis, tempora, amplitudine tuâ occupaſti, vt
quemadmodum nos totius ſæculi decora in te
ſuſpicimus, ita poſteri quæ in ſuccedente ætate,
ventura ſunt, magnarum laudum inſignia, in te
præceſſiſſe ſciant, ac adorent. Felices illos tam
fertili laudum materia, felices nos tam beato tui
vſu: felices illos tanto ſæculi ſui parente, feli-
ces nos, tanto noſtri ævi victore: felices vtroſ-
que, felici, pio, Sancto, VRBANO. Videbunt ta-
men illi in noſtra ætate quòd inuideant, nos in-
tra illorum ævum animo perſpicimus, quo in-
gentibus votis aſpiramus. Illi præſentiam tu-
am cupient, nos immortalem vitam nobis dari
optaremus, vt æternùm tuæ virtutis inſignia
prædicaremus. Ne tamen omnino à laudibus
tuis abſimus, tuum nomen advenienti ætati
porrigemus, ne noſtrum eſſe deſinat, quòd non
per nos ad poſteros pervenit. Accipiet igitur
æterni-

æternitas, à venerabundo ore, immortale tuum nomen VRBANE Optime, & totam ſe tuis laudibus impendet. Nihil porro in ijs exiguum nihil mortale dicetur, quia terras altitudine dignitatis tuæ exceſſiſti; mortalitatem virtute ſuperaſti. Infigemus ſæpius oſcula, ſacris tuis illis veſtigijs, quæ domui Romanæ hoſpes imprimens, poſteritatis memoriam es ingreſſus: laudabimus illam tuam beneficentiam, quâ conceſſo Societati Iubileo, ætatem Societatis cælo conſecraſti. Interea quòd ſupereſt à ſuperis precamur, vt quemadmodum in fortunatiſſimo dignitatis tuæ ſinu exactum requievit ſæculum, ita hoc, tuis auſpicijs exortum, diu te ſæculorũ digniſſimum Parentem, orbis univerſi amori terrarumq; ſervet incolumitati.

PANEGYRICVS

In Laudem Sereniſſimorum Regum Poloniæ VLADISLAI IV. ET *LVDOVICÆ MARIÆ inter auguſtas eorundem nuptias ſub titulo Polonia Pacifica. Vilnæ in Academia. Nomine Academiæ*

1646.

TRANQVILLITAS PACIS

INter ſtuporem admirantis fortunæ, & tryumphales plauſus conſtituti, difficilè certantium animorum pugnam componeremus, niſi eiuſdem contemplatione excitaremur, cuius honore percellimur maieſtatis; VLADISLAE REX INVICTISSIME. Ita felices VLADISLAO IAGELONE, glorioſas VLADISLAO VARNENSI, beatas CASIMIRO, inclytas IOANNE, ET ALEXANDRO, invictas SIGISMVNDO Primo, AVGVSTO, ET SIGISMVNDO Tertio Polonias refers; vt amplitudinem maieſtatis, imperandi moderatione temperes: & exuberanti publicæ pacis copiâ, ſubditorum pectora, ad lætitiæ audaciam animes. Hæc eſt ſingularis tua, nullius inter Europæos Principes exemplo debita, nullius æquata æmulatione, laus; vno gladij ictu, tot maximorum noſtri ſæculi monſtrorum, capita præcidiſſe: ereptiſq́;ſceleri & amentiæ, tryumphis, ſpem quoq́; audendi non reliquiſſe. Sæpe proſtratus in terrâ hoſtis, victoris plantâ momordit, & veſtigiũ quod ſubrueret, iacendo ante pedes, notavit. Sæpe repentinũ fulmen, virentes palmas exuſſit, & frontem, oculis perduellibus ſignatã, detracta lauro, ignominiâ oppreſſit. Dum cadunt corpora, ſurgunt iræ, invocatur irritata ultio, donec audacia extorqueat, quod negavit fortuna. Quemadmodum gravitate morborum

oppreſ-

oppreſſi. vitæ autem cupidi mortales; neq; naturæ deficientis periculis, neq; conſulentium credunt monitis, quin vexationem membrorũ iudicent, quòd mors eſt: ita improbâ contumaciâ durati hoſtes, virtutem victoris, viciſſitudinem fortunæ, victorias, eventus ſubitos, appellant: cumq; ſe proſtratos ac eliſos ſentiunt, ceſsiſſe tantùm perſuadent. At Gerant bella alij, tu perficis: pugnent alii, tu vincis; victorias ambiant alij, tu tryumphas. Illorum terror aures affligit, Tuus audaciam ſternit; illorum dextræ, fortunæ miniſtræ; Tua, cœleſtis poteſtatis particeps; illorum acies in corpora, Tuæ in animos etiam, ad ſolam tui venerationem ſurrecturos, vibrantur, Procul deinceps, procul à nobis ſuperba fabuloſæ veritatis mendacia. Herculea prodigia ultra fabulam non ſapiunt. & ut ſapiat, Herculi informes naturæ fætus, VLADISLAO, Hercules & Theſei; Herculi, vnius antri pernicioſa bellua; VLADISLAO; Orbis Chriſtiani pernicies obiecta En Heroem, ſub cuius manu abſq; igne & incendijs, oppreſſi fatalium cervicum ſpiritus, in vitales ſeſe amplius non animâvere motus. Infra eandem iacent gloriam, Magni Pompeiorum, Craſſorũ, Metellorum, tituli; quorum victoriæ certitudo, extremis debellatorum ſupplicijs ſanciebatur: ſive quòd invictum mori, qui ſe victum diffiteretur, ignorarent; ſive quòd perdere eos mallent

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA ...

à quibus vinci metuerent. Vivant ſanè hoſtes, ſed timeant: vivant, ſed addictis mutilatorum regnorum provincijs, ſerviant: vivant, ſed ignominiæ ſuæ infamiam, ad victoris gloriam patienter ferant. Pande pullas fortunæ Tuæ alas Moſchoviæ Aquila, pete regna, Orbem circumuola. Noſceris vbiq; VLADISLAVIANÆ gloriæ famula & quocunq; volatum protuleris ignominioſâ damnabêre notâ, Tu illa Iovis larvati ſatelles? Tu prædæ populorum, perduelli deſignata voto, carnifex. Tu violatorum fœderum infelix auſpex. Quàm malè, furtivæ conducunt indignis laudes? Ne non numinis miniſtra videreris, ſuperbiſſima fulmina, intra ſidera accenderas, vt nunc eorūdē malè auſpicatis correpta flāmis, cadavere regni, ſcelus penderes, niſi vitā à Regis noſtri recepiſſes clementia. Tu quoq; ſolis in ſeptentrione orientis invida æmula, barbara Othomanici imperij luna, excitatas tēpeſtatum procellas, Tui aëris peſte, lue; duce ſq; veſaniæ inchoatæ præfoca. Diſcāt * Abaſſij, in ſuā perniciē verti, quicquid contra VLADISLAVM molirentur: diſcāt regi noſtri non civium tantùm, ſed & hoſtium pugnare manus; diſcant communem eodem rege auxiliorum conſiliorumq; polis & Polonis Societatem. Quos Poloniæ ſubtrahunt, ſuæ reſervant ſuperi vindictæ. Stupet immanibus dejecta auſis, barbaria: & os illud patulū, improbam regnorū

* *Abaſſius Turca deſperatâ victoriâ ſuffocato.*

voragi

voraginem, ſub reſtis ludibrio ac tormento proſpectans, ſui criminis & corporis pœnis gaudet; improba ſceleris author, æquiſſima vltrix. Illa quoq; Tyranni dextera, in minas primum, amentiâ erectâ; ille gladius Chriſtiani cruoris ſititor, temerariâ ferociâ, ad commendationem audaciæ pulſatus, intra trepidationem paventis Domini, incluſus: dum Te cogitat, vires non invenit; dum memorat, aciem perdit. Audiet æternitas, Moſchoviam VLADISLAI Regis armis profligatam: Audiet Turciam ſolâ adventus eius famâ, à limitibus Regni, ſummo cum dedecore reiectam. Illâ ferociſſimæ nationes aguntur ſuperbiâ, vt cæterarum gentium vires facilè præ ſua potentia contemnant: Illa ſcelerum licentia; vt fidem commodis licitentur. ſuſcepêre tandem barbari ingenium; &, quam ſub nullus manûs belliq; ferula toleravêre, ſub VLADISLAI gladio, didicêre patientiam virtutis. Oderunt dolos, doloſũ ſucceſſibus interceptis; execranrur fraudes, fraudibus prudentiâ circumuentis: reddũt fidẽ, perfidiæ pœnas, cũ iuſſiſti, mutua quoq; pernicie, exolutis. At grande hoc nec à Te vnquam imperatum. Eſt quædam ſingularis numinis Tibi addicti benevolentia, votorum tuorum præcurſor. Hæc hoſtes Tuos perpetuò agitat, hæc debita audaciæ ſupplicia exigit, hæc fœderatas ſceleribꝰ acies, in ſe avertit. Vidimus duo maxima gentiúe

tiq; Polonæ infeſtiſſima imperia, Moſchoviticum atq; Othomanicum; cum pollutas, violatæ pacis ſacramento, contra te dexteras iunxiſſent; cum armorum & belli collatione factâ, immenſis exercitibus Severiam, Podoliamq; mundaſſent; æſtu quodam veluti concita, verius occultâ quadam poteſtate, quam favor ſuperum, tecum communem habet, impulſa; tanto in ſe, ſpectante ſub lauro Poloniâ, furore exarſiſſe: vt immenſas odijs terras coniungerent, committerent maria, ſolis ardores, rigentibus perpetuo frigore plagis inferrent, naturam & elementa, quibus exſcelerati conſilij rationibus, contra te fuerant vſi; in mutua conſtarent exitia. Vindicta illa profectò fuit ſociatæ perfidiæ, quam barbari bellum dicebant. pugnârunt, non quòd pugnādi eſſet neceſſitas, ſed quia ſupplicio numinis tui, ſe ſubtrahere non potuerunt. Stetêre igitur acies, ſignis animiſq; infeſtis; ſtetêre autem quòd criminis conſcijs evenire ſolet, deiectis vultibus, erectis odijs: mox revocatæ perfidiæ indignatione actæ eâ irarum in pugnam proruerunt contumaciâ, quâ ad inferos vſq; armatæ pervenirent. Patuit luculentiùs cui militarent; cùm alter exercitus, vt Tuus videretur, Tui regni finibus in hoſtes immitti poſtulavit, alter ne alia, quàm Tua, gerere cenſeretur bella, fæderum invictâ munitus Societate, pro cædibus à ſuis cervicibus arcendis, ante aras clementiæ exoravit. Oſtendiſti vtriq;

genti, longè tibi diſparem ab alijs bellandi imperandiq; intercedere rationem; cum temporum atq; eventuum arbitrio, fortunam non committeres; & hoſtes paulò ante fedifragos, tum pacis publicæ umbrâ protectos, nec læderes, nec ſineres lædi. Maieſtatis Tuæ pondus mirer, quà cælorum ſententiæ, cædibus perfidas victimas deſtinanti, authoritate interceſſiſti? an prædicé iuris ac æqui amorem, ex cuius præſcripto, bella geris, pacem colis? Multis fædera ſancita, quia exitium præſens illa imploravit: Tibi, quia hoſtis ſupplicavit proſtratus. Multis eò vſq; rite culta, quamdiu occultæ promovendi imperij latuêre artes: quæ poſteaquam ſe prodidêre; cecinit claſſicum periuria, ſigna audacia extulit, erupêre repentinæ acies, pugnatum deniq; non virtute, ſed fraudibus, non armis, ſed mendacijs, non hominibus, ſed temporibus. Tu eadem gloriâ pacem atq; arma tractas: quieſcis, cum petimus; pugnas cùm invocamus; vtrumq; cælo prius & cauſâ decernente. Itaq; admirantibus nobis, & diuturnæ pacis inuſitata felicitate attonitis, hæc quoq; non immeritò hoſtium animos intra ſtuporem pavidos continere videtur cogitatio: laceſſiri Te bello non poſſe, quin priùs, fides, ius, religio violetur: priùs improbæ tormentis obijciantur conſcientiæ, quàm Tuis militibus: priùs ſuis obruantur ſceleribꝰ, quàm Tuis armis: Fama igi-

ma igitur eſt, paucis quoq; ante repetitis diebus, Michaelem magnum Moſchoviæ ducem, animam inter ſenatus ſui, belli tranſacti ſtimulatricem catervam agentem, Filio, imperij hæredi, ſupremæ vocis graviſſimâ authoritate, pacis cũ Polonia iunctæ perpetuitatem, commendaſſe. Quã ingens numẽ, & vis virtutis tuæ, quæ tantũ in barbaro animo valere potuit? Imperator fatorum ſubitaneo impetu oppreſſus, ſtatus domeſtici imperij, moliſq; negotiorum immemor, fidem cum Polonis teſtamento ſcribit? Quid prodigij quâ ratione magiſtrâ, quâ preceptrice inſtructione, quietis amore, furentem excolvit audaciam? Sine me obſecro VLADISLAE REX tantiſper dicta retorquere; ſine ſuperiores conveniri cogitationes. dixeram vtiq;, ante tryumphales pedes tuos, non corpora tantùm, verùm animos quoq; prociduâ veneratione proſtratos. Iam nunc quod aſſerveram ſpecto: iam divinam tibi vim in animos imperium extendendi ineſſe intueor: quandoquidem ab omni belli metu, publicæ fidei ac potiſſimùm tuæ, ſacramento liberatus; ſtipatorum cohortibus, & ſenatûs potentiâ cinctus, in ipſa imperij ſede, in pacis corde, adhuc tamen de te dux hoſtium cogitat, adhuc trepidat. Niſi fortè ut ſermonem tuis potiùs, quàm illius moribus conformẽ, in tuo Nomine, fatalibus oppreſſus anguſtijs reſpirat. Veritus eſt inſuper, ne niſi tibi

placatus è vivis diſcederet, vltrici morientem ſequereris vindictâ: mutatâq; contumacis mentis ſcenâ, ne perduellem quæreres, aeternum ſe victum eſt confeſſus. Intimis procul dubio, imperij viſceribus hæc vox recepta: cuius gravitatem ſi vnquam barbaria violare auſa fuerit, magnis viribus opus non erit. Deſperatione ducis exanimata, facilè in tryumphorum novorum fundamenta concidet. Retorquebit etiam oculos in propinquiorem ſcythicæ incurſionis tempeſtatem: quæ, fata bellorum, expendentibus, turbatura ſerenum videbatur: at eventûs argumentis, nubes quædam, Martis hoſtilis erat, auctura interitu, in quam impulſa properaverat, ſerenitatem. Dubitari aliquando fortaſſis poterat, num ſignis, & auſpicijs invictus pugnares? gloriam tuam, an præſentiam fortuna vereretur? Probaſti vtrumq; abundè à Moſchoviticis victorijs, ad Turcicas converſus: itineribuſq; belli ſuſceptis, tryumphorum emenſus ſpatia. Virtutem in agmine ducebas; fortunam præmiſeras. Virtus pugnam moliebatur; fortuna ferebat cædes. Virtus, acies, & caſtrenſes reſpectabat labores: fortuna lauros Emathias fronti nectebat, & ſacram, cruore Mahometico tingebat, purpuram. Veniebas, & aderas: expectabaris, & inter hoſtes verſabâre: invocabaris & & victor timebâre. Quid igitur conſilij fatalibus illis legionibus adfuiſſe dicam, vt Te provincias

vinciarum votis in Lituaniam avocato, limites Regni, ingenti exercitu invaderent, barbaroq; auſu pacificas Tuæ oleæ adoreas, corripere tentarent? num devotæ Polonorum ſaluti victimæ, gloriam infortunatorum manium, à tanti victoris nomine quæſiverunt? an bellorum vices, dubiamq; regnorum viciſſitudinem, imperio tuo inferre meditabantur? Factum, quòd evenit plerumq., ut dum rerum momenta non cognatis ponderibus,ſed proprijs librarent cupiditatibus, pronos in humana pericula fortunæ caſus, ſuâ manu capiti ingererent; ſuæ ſepelirentur mole audaciæ. Cadant ergo, doceantq; non impares prioribus furijs umbræ: hoſtium VLADISLAI, numerum augeri poſſe; vires non poſſe. Tam tibi fortuna conſtans, quàm virtus. Itaq; quoties eâ uti ſtatueris, omnia ex voto cedunt. Nullus tamen tibi funditur cruor, niſi cuius copia, vitale patriæ reſpirium præfocat; nullum cadit brachijs caput, niſi quod improbo erectum conatu, fatorum te circum ſtantium, obijcitur cuſtodiæ. Conditur modeſtâ uaginâ bellator mucro: ſic quoq; formidandus, & ad omnem armorum ſtrepitum expeditus. Intelligant hæc titiones, undis marinis prodigioſè prognati, ardentis bello Orbis Chriſtiani favillæ, quæſitorum dominiorum cupidi, ſuorum periuri ſatellites; & pacem à te impetratam, & ſervent & ſervatam gaude-

gaudeant. Nunquam diu cum ſcelere fortuna retenta: corruiſſet autem haud dubiè; ſi ad tuorum armorum experimentũ perveniſſet. Rerum iudici cauſam committamus; & veritatem aſpectu exploremus. Nonne ſub tuis Aquilis invicto ſpectabantur proceſſiſſe agmine, virtutum acies? vectigalis gloriæ tuæ fides, æterna ſacri lateris cuſtos Religio, exploratrix fatorum æquitas, ſignifer fortitudo; quas deinde paucis à te inflexis gradibus dux præibat Deus. Quàm diverſus hoſtilium copiarum aſpectus? quantus horror ſcelerum, impietatis, libidinum, crudelitatis, & læſa ſummi maieſtate numinis, læta periuria; Et quomodo non victor illis campis abiturus eras; quibus tanta præſtò erãt auxilia? an certior de eventu belli, cũ ducibus invictiſſimis, cũ legionibus fideliſſimis, cũ militibus fortiſſimis; quàm cũ Deo in acie deſcenderes? Nulla exercitûs maieſtas, ſpectaculũ auguſtius, hoſtibuſq́; magis timendũ exhibitura erat, quàm cuius fronté tenuit Devs, latus VLADISLAVS. Expectabamus itaq́; victoriæ certi, dũ pugnã decerneres: cũ tu particeps vicini numinis conſilij, ſpes noſtras & expectationẽ, pace, ſupplicãtiũ hoſtiũ votis, poſt Provinciarũ reſtitutionem imperatã, conceſſa; viciſti. Tũ verò ipſæ illæ cœleſtis originis tuæ cohortes, ab ardore belli, ad tui admiratione converſæ, pronas ſe venerationi dedêre; Egit gratias clemẽtia moderatiſſimo vitæ humanæ diſpen-

diſpenſatori: acceſſit gratulabunda fortitudo, benigniſſimo inuicti animi domitori: accidit adoratura Magnanimitas, munificentiſſimum regnorum largitorem. At publica, & quâ nihil bonis Principibus ſanctius, in rē commun Pietas, poſteaquam ſubditorum commoda, amē pliſſimi regni patrimonio à te intellexit prælata, æternum tibi,gloriæ,ſtudiorum noſtrorum, votorum, memoriæ, regnum in animis conſecravit. Augerem orationem & Zaporovienſi bello, civilibus an ſervilibus furijs in improbâm audaciam excitato? eóq; pernicioſiore,quia intra viſcera patriæ immenſis rebellium copijs, maximâ mortis contumaciâ tranſacto: niſi reſiduus ille populus, per fortitudinem tuā, cuius auſpiciis arma perfida extorſiſti;per clementiam, quâ, proſtratâ ſcelera torum audaciâ, ſupplicantium vitæ ignoviſti: ne ſæculorum execrationi infamem perduellium nomine obijcerem, deprecaretur. Ignotum nomen Orbi cupit, quod Tibi non audiat ſubditum. Mirum dictu? Eædem illæ acies, eadem corpora, ijdem animi, exiguâ manu invicti pro te, contra hoſtes ſtererunt; hoſtili admiſſo contra te crimine, viribus ſe deſtitutos, exhauſtis etiam copiarum multitudine oppidis, & Provincijs, repererunt. Quærite Poloni, cuius robore infracti, cuius invicti virtute,immenſorum bellorum molem ſuſtinueritis! VLADISLAI

averſo

averſo numine vincuntur, VLADISLAI afflante numine vincunt cives. Robur, ſpiritus, animus Polonorum VLADISLAVS. Silvit tandem magnitudine operum tuorum perculſus Martialis armorum fragor, laudandi debitum, Orbis ſuſcepit terrarum. At nos ad Auguſtam gloriæ Tuæ conſortem animorum plauſu avertimur.

SERENISSIMÆ

LVDOVICÆ MARIÆ

Nova gloriæ acceſſione Polonias ſerenanti.

Pande ſinus Auguſtos Polonia!
Magnitudinis Tuæ acceſſionem capere
non potes,
quin Te excedas.
Augeris; non indigna molis, ſed fæcunda
laudum.
Incrementum Regnorum, maieſtas Regum.
Ambiunt gloriæ humeris Principes, quod non
capiunt Principatus.
Vnus ſol tanto Orbi, vna lux tot ſufficit mortalibus.
Sol, lux Poloniæ,

SERE-

SERENISSIMÆ
LVDOVICÆ MARIÆ

Tot lucis radij, quot generis, tot generis,quot diei.
Securi ab hoſtibus, amicis beamur.
Devicto terrore, Amor tryumphat.
Firmioribus, ad conſtantiam fortunæ præſidijs,
Reſpublicæ aſſurgunt:
quæ à multis amantur, quàm quæ timentur.
Hoſtibus liberi, tutum, ſed inerme pectus gerunt
Amici, murus inexpugnabilis.
SALVE
Auguſta purpuræ Hæres
Alienas te ne crede terras ingreſſam,
Tuæ ſunt:
Et niſi eſſent;
Fierent, dum te agnovêre.
Patet Regni aditus, per civium corda
Quicquid Italia, Gallia, Germania, in Tua dignitate venerata eſt;
Polonia veneratura accumbit:
Quicquid à felici imperio meruerunt;
Polonia expectat.
Naſcendi conditio, vitæ teſſera.
Natales, fortunæ pedes.
Maiorum tuorum tituli, Heroum Orbis compendia.

Immen-

Immenſa ſæculorum & terrarum, in noſtram fortunam decora coàlvêre.

Præſagium firmandæ felicitatis,

Invecta, cum titulis Auguſtæ domus, in Poloniam immortalitas.

Cum

Mantuam, Monsferatum, Niverniam, Rhetelliam

In mortalis vitæ domicilia

Ingentes illi Gonſagæ, atq; Lotharingi delegiſſent:

In Polonia perennare voluerunt.

Alibi merita & dignitatem

Hic fata ipſa coronârunt.

FELICITAS PACIS

A caſtrenſi tumultu, ad quietis ſtationem, á limitibus regni pacificatis, ad viſcera Reipublicæ & gloriæ tuæ; orationem deduco VLADISLAE REX. Bella tua, ſæculorum miracula; Pax, prodigium cenſetur. Fæcunda malorum noſtrorum tempora, in eam cædium ſe profudêre fertilitatem, vt communia fata, mortales faſtidientes, mori recuſent, perimi gaudeant. At Tu, fulmen & ſidus, Lechiæ, bellis immenſis tryumphiſq; ſæcularibus, anni ſpatio tranſactis; pacem ex orbe pulſam, in Poloni-

am advocâſti: Regali eam hoſpitio & ſolio dignaturus. Timuiſſet illa multorum, Tuo, tantâ cónfidentiâ ſe commiſit congreſſui, vt cum Regalem dexteram, auguſtum fidei pignus porrigeres, ab illius amplexibus ſe non ſineret avelli. Didicit enimuero ſæculorum experientia, grandius non rarò, Principum vitia feciſſe Paci periculum, quàm bella; hoſtiumq́; intactam telis, aut levibus ſauciam vulneribus, in Regum crudelitate, penè expiraſſe. Cum puris vulneribus, lac flueret non cruor, ne lac eſſe deſineret, in alimentum Tyrannidi deſtinabatur: vt tamen ſanguis maneret, crudelitas eo ſatiata. Optavit Roma irrito voto, maxima bella, cum in maxima pace verſaretur: bellorum ſævitia, ſub pacis nomine, furente. Cum hoſtes deeſſent, libertas, opes, vita civium, in hoſtium numerum relata, pug atum ſervitute, avaritiâ, ferro, ignibus. Vtinam & Tu Romanis felicior fatis, deteſtandam in exemplis, vitâſſes in periculis ſãguiſugæ Pacis rabiẽ, Polonia. Pudet tãdẽ meminiſſe Boleslai Audacis, bello fortunatiſſimi, ſceleratiſſimi pace, invicti armis, profligari vitiis, vindicis imperii, & civium ſago, peſtis & exitii togâ. Hoc bellatore nec Macedoniæ Alexandros, nec Romæ Iulios, Pompeiosq́; invidimus: eodem pacificatore, Nerones & Caligulas invocavimus. Diu felix & ſimul, diu bonus Princeps; ſæculorum Phœnix, naturæ perp-

perpetuis labentiſ ruinis fulcimentum. Melliſ tum virtutis venenum, felicitas continuata: in Principe, copiâ periculoſius. Verum cur vt de malis Principibus loquar, Optimum taceo? Quamcunq; vocem laus VLADISLAI non occupat, iniuriâ publici deſiderii damnatur. Nemo ſecurè decreverit, hoſtes te magis timeant, an colant cives? Laurum ornes, an decores oleam glorioſior? Magnus vtroq; in conſpectum Tuorum venis: & neq; vſu communis, neq; maieſtatis indulræ partitione minor. Nunquam igitur, crede nobis, nunquam oculos in gloriæ Tuæ pompâ defixos, avertimus. Tryumphi tui non diurnis, vt illi veteres, terminãtur ſpatiis, non curru aut equorum prætervehuntur greſſu, non auri argentiq; opulentis refulgent præ dis, non ſpoliorum atq; opum æſtimantur pretio. Maior es, quàm vt à rebus, quæ à populari iudicio valorem accipiunt, in encomia aſſurgas. Te igitur animi ſuccollantes Tuorum, ſupra cæteros Principes evehunt: Te gaudia & plauſus vniverſorum antecedunt: Te ſtudia & vota Reipublicæ comitantur. Numerari felicitatis noſtræ, Tuæ in nos benignitatis partes nequeunt: vnica tamen & maxima felicitas ab omnibus creditur, VLADISLAO Rege frui, VLADISLAI incolumitate donari. VLADISLAI laudibus voces ac memoriam imbuere. A Te, dicturi de rebus militaribus exempla

 ſum-

ſummorum Imperatorum deſumunt; Tuæ famæ eruditione, civilium operum cultores, Optimi Principis imperium inſtruunt: Tuâ ſapientiâ, integritate, maieſtate, vniverſi pacis veræ nomen, implent. Hoc deniq; ſincera animorum devotione ſentiũt, hoc afferunt; Æternâ Poloniæ felicitaté fore, ſi æternùm à VLADISLAO gubernari mereatur. Vitam igitur quoque vſu cõmunem, prærogativâ mirabilis beneficii non modò gratiorem, ſed & diuturniorem facis, poſteaquam poſteritatis ſuavitate delibati hominum ſenſus, ſatis ſe vixiſſe arbitrantur, quantumcunq; ſub Te vixerint. Longam vitam non curant, qui bonam habent. Non vivere, ſed vitâ fortunatè frui, vita eſt. Bonus eſſe non poteſ, quin omnibus ſis. Ius ſummum moderatione cohibes? omnes liberi ſumus. Potentiæ ſatellitio, maieſtatem cingis, non armas ambitionem? omnes tuti. Auctionem beneficiorum, pro cenſu numeras? omnes grati. Fulget ſceptrum, non fulgurat: imperat poteſtas, non premit. Audio libertatem, Polonæ nobilitatis, magnificum titulum, auribus inſuſurrantem. Me VLADISLAVS adamavit. Audio honores & magiſtratus: Nos ornavit. Audio legum & iurium ſanctitatem: Nos erexit & roboravit. Audio literas & literarum cultores: Nos facultatibus, iudicio, honeſtavit, promovit. Fora deniq; mænia, Vrbes terræ, Tuis vel amplificatæ

orna-

ornamentis, vel munitæ præſidiis, in ſimiles laudes, voce, & encomio ingenti coniurant. Et dicam aliqua, & tacebo plurima. Dicam, quod ſilere nequeam: tacebo, quod loqui. Inter prima bene, ac feliciter inperandi præcepta, grauiſſimum illud ſemper habitum: exercere imperium, nec ſentiri; præſtare facienda, nec fatigare. Violenta poteſtas, ingrata, infida, brevis. Tibi hæc debebatur gloria, vt Rex eſſes, nos liberi; Quòd quidem glorioſius iure merito cenſendum iis ſubditis; & liberis, quos magnum libertatis nomen, à cæterorum regnorum conditione ſecernit. Semper Poloni ſuis Principibus obtemperare prompti, neſcio an vlli libentius obſecuti, quàm Tibi. Omnium in Te vnum Regem, concordia ſuffragia conſenſerunt, omnium conſpirauerunt obſequia. Imperas vt Princeps, provides, vt Parens, gubernas vt lex; digniſſimus ſummo ſolio, remotiſſimus libertatis contemptu. Oſtendiſti multorum ſæculorum commendatione, Tuo tamen potiſſimum vſu, probatam vniverſis regnandi regulam. Nullius imperij ſtatum, ſub Optimo Principe, non eſſe optimum: & neque Imperatori bono, gravem eſſe ſubditorum libertatem; neq; libertati ſubditorum, Imperatorem bonum. Quanquam vnus plurimum poſſis, plurimumq; pro noſtris commodis agas; omnium ſtudijs, ac iudicijs res perfici cenſentur. pulcherrimâ liber-

tate, in qua nulli à Principe diſſentire licet; quia nec Principi à Republica. Vna mens Tua omnibus eſt, quâ regantur; vnum Tibi Cor, quo vtilitates vniverſorum complectaris. Ne affectus per multos dividas, in omnibus Rempublicam amas. Nuſquam igitur nobilitas illa aurea, illaq;.

Toto pretioſior auro

Libertas, ſe magis auream ſenſit; quàm cum in Tuo Vertice atq; manu aurum imperiale effulſit. Ita curas publicas cum diademate aſſumpſiſti; vt nos curis Tuis coronares: ita ad dexteram tuam nobile poteſtatis inſigne admiſiſti; vt foveres, non ſtringeres obedientiam. Quid, quòd commune Tibi legum vinculum facis, vivendi imperandiq; ex publici boni rationibus Tibi à Te præſcriptis? Quàm diverſa, hac virtute, in vnum coeunt? Suprema poteſtas, & maieſtas, ad legum obſervantiam ſponte inclinata. Quàm delectat frequēti conuētu Tuos ābire aſpectus? Stupere Regem in ſolio, legem in faſtigio; illum omnibus maiorem, hanc, quia vis, Te altiorem. Intelligo, quàm meritò admiremur in eo culmine præfixos iuſtitiæ cōdices, quo locari ſolitum non ignoramus gladium: in ea lateris parte cōnſtitutam æquitatem, quam ex Principū conſuetudine obtinere conſuevit ſummum ius, & aſſecla iuris ſummi, ſumma iniuria. Habent Principes propoſitam in

Te im-

re imperandi rationem, quâ mereantur felicitatem, Hominibus præſint, ſubſint legibus; Multa ſibi licere intelligant, plus legi. Æternâ quædam ac immutabilis Mens. Lex eſt; quâ cum Tuam poteſtatem circumſcribis, nonne incertas ſentiendi, diſſentiendiq; rationes, perennium conſiliorum conſtantiâ ſolidas? Paretur quoq; libentius, tanto parendi exemplo, & ſervatâ legum à Principibus inſtitutione, principum aſſueſcitur à ſubditis imperio. Ejuſdem in Rempublicam Tui animi eximium argumentum, illi publicarum dignitatum ſubſelliis; proximè Tuæ Maieſtati admoti; qui libertati, impenſo ſanguine, aut difficillimis laboribus; pretium feciſſent. Quanquam enim, grandibus parentum ſtudiis parta decora, ſolam poſterorum æſtimationem ad perennandum requirere videantur, evenit tamen non rarò, vt quoniam ſolius fortunæ munera cenſentur, contempta vileſcant. Magnum rerum pondus, affuſus frontis propriæ ſudor: magna libertatis in dignitate tuendæ commendatio, meriti titulus. Honor, publicæ ſalutis onus, regnorum decus, virtutis cenſus. Recedat igitur domeſticis emollita blandimentis ignavia, recedat infamibus innutritum tenebris otium; recedat pretioſis ſtipata vitiis ambitio: accedat autem fortitudo, accedat ſalutarium conſiliorum capax animus. His ſuffragiis aſcenduntur curules, ca-

peſſun-

peſſuntur faſces, conſtat poteſtas iurisdicendi, æquiſſimo ac maximo virtutum iudice, VLADISLAO. Eoſdem ille amat comites honorum, quos laborum ſocios probavit. Bene caſtra in curiam tranſeunt; vt curia quoque, fatis publicis id poſtulantibus, caſtra ſequatur; & Mars Lechicus, quieſcat, non exarmetur. Digna capita coli, quæ depreſſam patriæ fortunam erexêre: dignæ manus ornari, quæ purpuræ ruborem hoſtium cruore auxerunt: digna pectora adorari, quibus Reſpublica tuto incubuit. Mars Rex; Martius Senatus; Maximus omnium, calcatis barbarorum tumulis Rex; maior cæteris, ſubſtratis eorundem cadaveribus, Senatus. Sequamini animum oculi. Nondum ſe totâ maieſtate ſpectandam dedit, auguſta honorum amplitudo. Sunt, ſunt quorum ſapientibus conſiliis, tantum Reſpublica debet, quantum aliorum cruentis; tantumq́;, quantũ armis: immo ad quos armorum, & victoriarum referat felicitatem. Adverſa, reſiſtendo ſuperamus; ſecundis, ſecuri obruimur: ibi fugiuntur, hic amantur pericula. Magna pars felicitatis eſt, fatum ſuum, antequam irrueret deprehendiſſe, dediſſe fortunæ verba, oppoſuiſſe robur, nec inultum, aut imbellem cadere potuiſſe: at fortunâ ſine ſenſu nocente, præſidiis ſpoliari, proſtitui caſibus quieſcentem, & præſtigiis proſperitatis ſopitum, extremis periculis circumveniri: hæc

demum

demum magnæ felicitatis, maxima infelicitas, meritò cenſenda. Parum intereſt, lauro, an oleâ, eius patriæ civis coronetur, quæ, bellorum, iuxta ac pacis artibus illuſtris; manu capitis, mente corporis tuetur integritatem. Fortunatam virtutem, quæ ſummi Regis vicina ſolio, eiuſdem iudicio creſcit. Sibi imputet, quicunq; obſcurus iacet: promptus atq; vnus ad honores acceſſus, virtutem parem dignitati, VLADISLAO ſpectandam obtuliſſe. Huius REGVM DIGNISSIMVS, vocibus intendit: cum hac quotidie de civibus deliberat; eius conſilium ſequitur, eius ſuffragijs, dignitates, tàm magnificè impendit, quàm liberaliter ſuppliciũ,& fortunæ indigorũ ſupplicationibus largitur clementiam. Hominibus præeſſe non ſatis exiſtimat; niſi eorundem interveniat neceſſitatibus; quantùmq; privatis eminet dignitate; tantùm quoq; benignitate præſtet. Ades fortuna! adeſte cælites! Fortunæ munus eſto, paria beneficijs, excitare animi grati ſtudia, congregare omnium cultum, inuocare ſæculorum fidem, teſtari ſuam in agendis VLADISLAI munificentiæ gratiis, inopiam: coelitum; æmulam in terris agnoſcere virtutem, meritas promere laudes, ampliſſimam rependere liberalitatem. Quis unquam Regalem acceſſit fortunam, quin in ſuam non incideret? quis invocavit beneficentiam, vt vota plena non referret! Tanto in-

terual-

tervallo proſperitas ab hominibus ſeparatur; quanto homines, à Tui aditû, omnibus prompto, dividuntur. Scis, quæ ſint Principum veræ germanæq; opes, quod auri pretium, quis opulentiæ theſaurus. Ærarium dives ære, deſtitutum civium affectu pretioſa ex Tuo ſenſu Regũ egeſtas: animorum ex calamitate ſublevatorũm percepti cenſus, perennisq́; benevolentiæ, atq́; prompta penſio; Principe domino, dignum tributum. Neq: verò quidpiam in rebus humanis intervenit; quod Principem à privatorum fortuna, tam glorioſis argumentis excipiat: quàm ſplendor munificentiæ. Cætera mortalibus communia ſunt; aut excellunt quidem, non excedunt conditionis æqualitatem: dare autem fortunam alteri, immo reddere hominem ſibi, illius quæ nos nobis dedit, eſt potentiæ. Præeſſe hominibus, plurimis contingit; imperare fatis, & ſceptri poteſtatem, ad iniuriarum ſeveritatẽ cohibendam extendere, Tibi ſimilibus. Similibus dico? Quis verò ille tam ſublimibus ſpectandus meritis, tam altè ſupra cæteros evectus, tam plenus Deo, qui in Tui comparationem deſcendat? Non cenſeo nomina, ne cenſuram incurrã ſæculorũ. Grande, ſecuturæ ætati, elaboraſti negotium, munificentiæ Tuæ æmulationem. Indignabuntur, tot annalium encomiis celebrari diurnam Veſpaſiani beneficentiam, cum integras mortalium ætates, Tuis incluſas conſpexerint

rint beneficiis. Ne tamen diu quærant laudis ſimilitudinem. reſpicient è propinquo Dunam, Chrononem, Viliam, ſublatis oneribus tributorum, ingentibus ſe vorticibus, hoc eſt Tuæ liberalitati paribus, in mare præcipitantia flumina. Loquentur, publica beneficentiæ exempla, pro privatis; iidem amnes, noſtris commodis, Tuis laudibus implebuntur, Horum littoribus, egena ſubſidiorum, dives animi, militaris virtus, Tuorum monumenta præmiorum refiget: his portubus, naufraga impenſis publicæ neceſſitati, patrimoniis, multorum fortuna, liberalitatis oblatæ trophæa ſtatuet: huic aquarum perpetuo decurſui, orbatæ viris matronæ, natis matres, mox facultatum à Te impenſatum, largis ſolatiæ auxiliis, gratas, ad Tui memoriam lacrymas, pro triſtibus, affundent. Neq; per confinia aquarum ſparſus pulvis, inſcriptum carmen non diu feret: Marmor fit de pulvere, in quo ſcribit gratitudo. Quod ſi ad ſolem, clariſſimum liberalium Principum ſimulacrum converſi; Te in eius luce, ſuſpicere volverint: pauciora in eo legent lucis nomina, quàm à Te proficiſcantur munera beneficentiæ. Quanquam enim benigniſſimum in humanum genus ſidus, nunquam ſe ita terris ſubtrahat; quin aliquem ſpargat diem: contrahit tamen non rarò ſplendorem, graviq; vmbrarum triſtium contumaciâ, vota ſupplicantium, diu fatigat: Tui vultus benigniſſimi, glo-

mi, glorioſus fulgor, perpetuò idem, perpetuò innubis, eâdem ſemper lætitiæ promptitudine gaudet, & tuos, exhilarat. Nam tum . quoq;, cum aut publicæ rei authoritate beneficio præſtando intercedente;aut petentium in dignitate, vocé,vt nō exaudiatur deprimente;aut iuſto indignationis merito, affectûs propenſionem,cohibente; invitam aliquibus ſubtrahere cogeris manum: impendere conſueviſti, amæniſſimo vultu, animum. Hac ratione, muneris ſubtraxiſſe gratiam, eſt liberaliter impendiſſe. Multum dedit, qui prò contemptu, æſtimationis ſuffragium; pro ira, humanitatis obtulit ſignificationem. Nemo non ditior à Tuo conſpectu recedit, nemo non felicior. Magnus eſt, bonæ ſpei proventus, & dives cenſus, clementiæ ac propenſionis Regiæ ſolatium. Quid quòd temporum moras, magnitudine penſas benevolentiæ? quòd expectationis tædio recordationis interponis humanitatem? quod obices votorum obtinédorū, Tuâ amoues curâ, ſtudio, maieſtatis authoritate. Tot boni ſuperi in vno beneficio beneficia! tot in gratia, gratiæ! Scribatur verò liberalitati proximum illud munificæ iuſtitiæ genus, quo avaritiam rapinis, rapinas iniuriarum ſecuritate, exuiſti, atq; iuribus vigorem, hominibus fortunam reſtituiſti, Cum enim improba nocendi cupido, temporum, publicis iudicijs deſtinatorum breuitate, intercipi non poſſet;

poſſet; & fallacium artium, ſceleratus textus in- genio crimina involveret, alibi iudiciorum ſpa- tium, æquiſſimâ morâ auxiſti, cauſarum alibi va- gos, certis ſanctiſſimiſq; rationibus circumſcri- pſiſti errores. Simul igitur & evadendi meritas pœnas, neceſſitate quæſtionum, ſpes eliſa; & il- ludendæ, dilatione, iuſtitiæ, audacia effracta. In- dignum Tibi vt erat viſum, calamitoſâ aliquo- rum potentiâ, infirmiorem ita vexari egeſtatem vt feſſa primum, multitudine ſubſelliorum, tũ cauſarum alienarum interventa ſuis ordinibus excluſa; cedere afflicta cogeretur. Primus dicere cauſam cogitur, qui primus inferre auſus iniuri- am: quod, diſtingui in foro iuſtitiæ, honoribus, amicitiâ, opibus non poſſent; qui criminibus ſe æquaſſent. Iudicibus hactenus ſcelerum vindi- cta commiſſa; nunc ſuos, ipſa ſcelera, authores accuſant, condemnant. Licebit tandem miſeris, ſuæ fortunæ vultu in publico conſpici: quod ſæ- pe negari, miſerrimum erat. Licebit afflictis, commodatis Tuæ clementiæ humeris, iacentes fortunas attollere: quæ in deſperationem pro- iectæ, ſitu & ſquallore conficiebantur. Converſa inſtrumenta audaciæ, in ſupplicia, & temporum iniuriæ, temporum beneficijs ſarcitæ. Prom- ptitudo peccandi, primum peccati tormentum. Non iam adverſarij arbitriũ, cauſa; ſed cauſæ imperium, reus ad Tribunal ſequitur: neq; cum vocem debilitaverit, expectationis faſtidium;

ſed

ſed cum veritas roboroverit, loquitur innocentia. Creſcebat impetus criminum, ſpe licentiæ diuturnioris: pœna, factum conſequens, quaſi vmbra vindex ſcelerum, dum minatur, deterret, à crimine. Nullis quidem temporibus, publicum Polonia aſyllum improbis præbuit; dictæ leges, antequam conderentur: mox conditæ, publica priuataq; officia, æquiſſimis iuribꝰ diſtinxerunt, afflixerunt vitia pœnis, iudices cauſis ſapientiſſima præſcripta iudicibꝰ, addixerunt: plus tamen valet ingenio improbitas, quã ut tota ſimul deprehendatur Cælo etiã iudice, novæ criminũ continueq; naſcenti induſtriæ, vetus pœnarum & ſimplex non ſufficit diſciplina. Memoremne verò alias ſanctiſſimas leges non in nos tantùm modo, verùm in omnem poſteritatem beneficas? revocemne ordinis Equeſtris dignitatem glorioſiſſimis iudicijs amplificatam? provinciarum ac populorum concordiam, ſtabilibus limitum fœderibus roboratam? templorum atq; ſacrorum cœtuum ſecuritatem, maximâ fide munitam; amplitudinem, magnificis prærogativarum, æterno iure conceſſarum impenſis, auctam. Fortunatam te Polonia tua pace, quia VLADISLAO Pacificatore. An pacem amem, niſi talem? aut talem ſperem, niſi ſub Rege tali? Magnum eſt nomen Pacis Publicæ: neq; ſolùm hoſtium impetum, finium pericula provinciarum terrorem, arma, pugnas, cædes à Republica excludit: verùm mutuam ci-

vium ſecuritatem, vrbium concordiam, legum vigorem, Magiſtratuum vigilantiam, Principis innocentiam, æquitatem, iuſtitiam, gloriæ ſuæ ſinu ambit. Hac ego pace, te felicem, ô Patria gaudeo: huius authorem VLADISLAVM, quo virtutum titulo ex merito conſalutem, non invenio. Suggere, ſed paré, ſed tantum, quantũ eſt nomen VLADISLAI. Præteritam ætatem conſulis? alia pars ævi, vnum *Probi* nomen, encomio ſuo ſuffeciſſe gloriabitur; alia, *Pii* ſeſe oſtentabit conſpicuam commendatione; *Iuſti* encomium, alia in ſuas laudes derivabit. Hæc cum audiveris, cum collegeris; maior omnibus, & ſibi ſoli par, ſpectabitur VLADISLAVS. Tantùm cæteris ille eminet, ut glorioſiſſimum maximarum virtutum nomen, privatum cenſeri poſſit, niſi dicatur eſſe VLADISLAI. Amo præ cæteris ingenium Romæ, quod vt Traianum vocaret, *optimum* dixit: dicere tamen, quod amo, non poſſum; propter tituli ſupremam dignitatem, fraudibus adulationis, corruptam. Adij glorioſam illam vetuſtatem, patuerunt Principis cubilia, admiſſus ſum, ad præſentiæ vſum, atq; (pro pudor!) Imperatorem ſummis laudibus ſtipatum, titulo optimi profecto, aſſumpta peſſimi crudelitate, civium occiſorum corpora lambentem conſpexi. Didici poſtremò, fideli annalium narratione, impijſſimum divinitatis affectatoré, ſpecie quadam

eminentis virtutis, Romanas ambijſſe laudes, ignaium, magnarum virtutũ nominibus non teʒgi, ſed prodi vitia. Tibi igitur Tu comparandus REGVM GLORIOSISSIME, cuius ſolo nomine audito, erigimur animis, admiratione, ſpe: neq; vniverſam gloriæ complectimur Maieſtatem. Nunc igitur demum, rerum feliciſſimo magiſterio, diſco; quid ſit, quòd cùm longè plura, quàm vlli ante Reges, factis Tuis, impleueris hiſtoriarum ac eloquentiæ monumenta; cumq; clariſſimorum diverſiſſimorumq; fatigaueris laudibus ingenia: perpetua tamen, literarum erudito cultui, ſuperveniat materies, & ſæʒculum Tuum, ſæculum Tuorum audiat Oratorum. Naſcuntur, tanquam ſub palma, fertiles meritis libri: nec ſiſtere à laudibus poſſunt, cum merita ſequuntur ſtylo, ſemper tamen tardiore. Sola deterret à dicendo rerum maieſtas, frequenſq; illa, & candida de Te loquentium confeſſio. *Non ſumus dicendo, ferendo non ſumus.* Quantum alius in ſermonem produxerit; tantum reſtare alius inuenit, narraturus VLADISLAVM. Eloquens ſibi videtur, qui nominis proferre audet dignitatem: eſtq;, qui poteſt. Deſinit eſſe vox barbara, ſummo ornata encomiorũ titulo: deſinit videri exilis, compendio gloriæ & virtutis occupata, VLADISLAO. Et multi quidem, toti ſe ſubſtraturi maieſtati, Atlantico robore firmantur: non pauci infantiam

tiam virium, beato exercent onere: vtriq; felices, quia Tibi grati; illi, adultâ firmitate facundiæ; hi ſtudioſo affectu. Amas enim bonas literas, quia bonæ ſunt: amas, quia bonorum operum ſuſceptâ confidentiâ, commendatæ. Gaudet claſſicis famæ, impleri orbem, animi conſcia virtus, certiſſimiſq; immortalitatis præconibus, committere nomen, non dubitat. Quod ſi intima ſacri pectoris Tui promere daretur, atq; ærarium opulentiſſimum, cùm amœniorum, tum ſeveriorum ſcientiarum, introſpicere: dicerem quod res eſt, & ad fidei meæ teſtimonium, vniverſorum confeſſionem, inuocarem. Amas literas, quia pars Tui ſunt: amas, quia in iis, quáquam aliud agentibus, Te ſemper intueris. Quid enim? Maximum illæ, Orbis atq; ſiderum, æuiternumq; Numen loquuntur? Tua, rerum Divinarum cognitione, ac ipſo Deo fæta mens; ſe e vicino ſpectandam exhibet. Abditas naturæ cauſas ingenio veſtigant? Tuus ingens animus, arcanis vniverſi motibus aſſiſtens, admirandum ſe præſentat. Verborum cultum, ſententiarum grauitati ad dictionis commendationem illigant? Tu, vitam animumq; eloquio miniſtras. In tota deniq; heroum expreſſus ſpectaris antiquitate: & tota in Te, ſummæ virtutis, ſummæ fortitudinis, ſummæ ſapientiæ maieſtate, effulta ſpectetur antiquitas. Collegiſti, intra gloriam Prin-

cipis, decora orbis, *REX ARMORVM & LITERARVM MAXIME*: nec aliquid ſupereſt, quo magni Principes dici potuerint, aut deinceps poſſint; quòd, in Tuæ fulcra magnitudinis non ſubieciſſes. Creſcunt itaq; Tua magnitudine adiutæ literæ, authoritate, æſtimatione, patrocinio. Quàm ingens illis bonorum cumulus acceſſit; cum Moſchoviam deuictam poſt Te trahens, in Academicum pulverem, de curru triumphali, & maieſtate deſcendiſti: permiſcuiſti auguſtam ſapientiam Principis, Doctorum conſeſſui & colloquio: ſceptrum ad pedes, ante quos recenti iacebat proſtrata cadavere barbaria, demiſſum, erigi imperaſti: Sapientiæ poſtremò, Theologicæ candidatum, & in vno omnes, annulo de regia manu oblato, coronaſti. Vidimus illo die, Herculem triumphatorem, Apollonis ſacrario, ſtupore omnium ſeſe inferentem: vidimus prouinciarum deuictarum trophæa, in muſarum ædibus ſacrata: vidimus, & faſtos felicitatis inuſitatæ, nouo hoc benificentiæ munere inauguraturi; Academiam Vilnenſem, perenne VLADISLAI Regis Capitolium diximus: cui ſemel triumphalis Imperator inuectus, æternùm, inter memoriæ, & gratiarum eruditionem, triumphabis. Auxiſti magnitudinem iudicij, præſidiorum cumulatâ acceſſione; & Academicarum controuerſiarum prærogatiuâ, ad Tuum Tribunal erectâ. At cùm ſuble-

ſubleuares afflictam cauſarum authoritatem, oppreſſiſti noſtram gratitudinem. Hoc felici pondere ruo, & omnem poſteritatem, ad Tui VLADISLAE REX, cultum mecum advoluo. Iacebo, viuum ante pedes æterni beneficij monumentum; & perenni, animi proiecti tumulo, debitum literarum ſæculis teſtabor. Cognoſcet ſuæ pacis felicitatem ab hoc aſpectu Polonia, ad cuius proſperitatem augendam; virtus & literæ, imperio Tuo, coniurant.

SERENISSIMÆ

LVDOVICÆ MARIÆ

Magnarum virtutum coniunctione, Felicitatem publicam augenti.

Virtutum nexus, laudum neruus.
In Principibus
Publicæ proſperitatis robur, & catena.
Gaudemus TERRARVM PRINCIPES nubere,
PRINCIPES VIRTVTVM
nubere, magis gaudeamus.
En Purpuram
SERENISSIMÆ LVDOVICÆ!
Textus hic non artis, ſed virtutis; robur non coloris, ſed animi.
Vniverſum laudum miremur apparatum:

effunditur fecunditas.
Colliget Pax beata,
& fertilem proſperitatis ſinum, novâ explebit
copiâ.
Flóres, alij in adventu Principum ſpargant;
Vt in laudes ſuccreſcant:
nos colligimus; vt matura ditemur gloriâ.
Regnabit VLADISLAVS & LVDOVICA,
geminata altius ſurget, VIRTVS.
VIRTVTVM NODVS, & THRONVS,
SCIRPVS LILIATVS.

SECVRITAS PACIS

ILle demum prudens nauis gubernator, iure merito audit;qui non inter irati tantummodo maris procellas, ratem fluctuum ſæuientium furori, ſubducere nouit: verùm etiam, in maxima Cœlorum atq; Oceani tranquillitate, in aduentantia pericula nauigat circumſpectus. Vincere luctâ fortunam, magnarum virium laus eſt; ingenio, magnæ ſapientiæ: præueniſſe autem ne auderet ſæuire; an fregiſſe,vt pœniteret auſam; glorioſius ſit; non decerno. Conſtans, eſt impoſita, humanæ neceſſitas inconſtantiæ: proſperis atq; adverſis temporum fata necti, mutari cum ſole lucem, cum luce dies,

cum

cum diebus ſerenum. Magna principia, paruis euentibus; exiles rerum ortus, ingentibus terminari incrementis. Latent, occulta bonorum malorumq; intra nos ſemina, nec facile deprehenduntur, antequam erũpant. Vultus, fortunæ, benè datur: malè manus & pedes. Scopulus fatorum, ſecuritas, in aduerſa expedita. Sapientiſſimi ſcientiarum & Regnorum Imperatores, nauim quandã ingentem Rempublicam, nauclerum Principem, remorum cuſtodes ſenatum, vela, ſubitos rerum euentus edixêre; & poſteaquam tempeſtatibus, bella; tranquillo mari, pacem, comparaſſent: hoſtilem impetum, diuturnumq; armorum ſilentium, ex æquo rebus gerendis infeſtũ decreuerunt. Magnum belli pretium, pax: niſi eodem, pericula emerentur. Incubuit altiſſimo vulneri, ad Cannas Roma, ſenſit caſum, & erecta; Orbis victorijs, ac triumphis ſuffecit: mox eadem, ſub blandientis pacis manu, grandi abſq; ſenſu, fato oppreſſa. Hæc cum loquor, fatum Patriæ cariſſimæ animis atq; oculis obverſatur, ſuauiſſimæ pacis longa quiete fortunatum; incerto felicitatis exitu pavidum. Magnum neſcio quid, ô Poloni! fortuna molitur, timendum tamen nihil eſt, quamdiu gladium, aut ſceptrum, pauet Vladislai. Diuturnæ pacis amor, fortes, armorum curas, animis arcet: cogitat pro nobis VLADISLAVS. Ardorem Martium iuuentu-

uentutis, frigida, lenociniorum domeſticorum perfūdit, animat vniverſos Vladislaus. Vladislai cura, omniū tutela, Vladislai ſpiritus, omniū vita. Quid agis, Regiæ publicæ rei, amor? aut, quid ab ea, pro tantis curarum beneficijs, requiris? Petit, ingentibus olim feſſa bellis, beatum gremij tui amplexum; benigniſſimè impendis. Quieſcit, afflantibus perpetuæ pacis fauonijs ſopita; continuò excubas. Tenent adhuc, recordationis obſequio adiutæ aures, CASIMIRI Regis vocem: gloriantis, ſe in cuiuslibet ſubditi ſinu, ſomnum abſq; formidine capturum. Plena conſcientiâ meritorum vox: tandem à te victa; dum & Principis gremium ſinus Reipublicæ, & Reipublicæ ſinus, Principis gremium eſt. Aucta fortuna, non mutata, dum Principi ſe Reſpublica tuto committit, Princeps Rempublicam ſuſceptam, fide & felicitate ſæculis admiranda fouet. Amor mutuus, ſe invicem approbat. Quis autem hic pulcherrimarum curarum tuarum indefatigabilis vigor? Quis magnanimi pectoris ardor? quæ flamma Cæleſtium ignium æmula, aut filia? Non te ingens graviſſimorum negotiorum moles, non tædium temporis, aut tui S[illegible]ratiſſimi palatij, perennis hoſpes maieſtas, à nobis auertit: non liberalis, fortunæ Regiæ magnificētia, pretiū minorū animarū pēſione vili, corrūpit? Serenitatem populis daturus in publicum pro-

dis?

dis? deducit te Reſpublica. Eandem continuaturus, ſolium aſcendis? aſſidet comes Reſpublica. Illa tecum perennium commodorum, conſilia inueſtigat: illa è Regali ſpecula, in omnes partes intenta, motus hoſtium amicorumque proſpicit: illa, tuorum arcanorum particeps, Tuorum propoſitorum author, tuorum factorum, magnificentiſſima imago. Ingens in vno pectore ſenatus, Rex, & Reſpublica: idemq́; fidiſſimus. Nulla in hac, vnius & omnium deliberatione, diſſenſio intercedit: nunquam Principis alia, alia Reipublicæ vox auditur. Idem vtriq; animo; idem ſenſus. Exulat igitur, à Regis noſtri, non modò animo, verùm etiam auribus, aſſetatrix illa ignauiæ oratio. Dimitte tantiſper Rempublicam, da Te Tibi, vt Tuus ſis, & non aliorum. Contraria ratio ſtudiorum, languorem cogitationum, procul arcet: atq́; tùm, ſe maieſtate ſuâ digna gerere exiſtimat: cùm digna Republicâ geſſerit. Alienum ab eo eſt, quod ad ſolum refertur. Publicis vtilitatibus omnia metitur, publica gaudet quiete, publicis laboribus ſeſe vegetat, ac recreatur. Cœleſtis hi mores, genij. Cum tellus, fecunda ſeminum Parens, & quicquid tellure proditur, interſtitio laboris, vires reſtauret: ſidera, perpetuo curſu gaudent. Quanta igitur in cæteris quoq́;, VLADISLAI & cœlorum, ſimilitudo? Quemadmodum pulcherrimum illud ſolis, lunæ, mi-

norum-

norumq; ſiderum domicilium, ſecundo terris impetu,continuò orbem ſuum obit, vt provideat; ita VLADISLAVS,ſuum. Nulla parte regni, tam latè prouinciæ protenduntur, vt ultra VLADISLAI prouidentiam extendantur. Orienté, Maieſtate; ſplendore, occidentis Regiones occupauit: vt quoties Phæbus exoriens Poloniam reſpiceret, alterius,quam tanti Principis purpuram, primis luminis ſui radijs accendi ingemiſceret: & quoties ſolem ad tenebras deduceret; Regis noſtri nunquam occidentem gloriam miraretur. Nullæ itaq; molitiones hoſtium contra Poloniam ſuſceptæ, quin ab hoc ſole deprehenderentur: nulla vis, tam occultè parata, quin per eundem innoteſceret: nulla induſtria cogitationum, tanto conſcientiæ munita ſecreto, quin prodita confutaretur. Satis veteres Ægyptij, Regum officium ſe expreſſiſſe exiſtimauère, ſi ſceptris oculos præfigerent: ne quicquã ad dexteræ contactum inexploratum admitterent. Latiſſimè VLADISLAI refuſum lumen, non ſceptri, ſed vniuerſi Imperij, verticem obtinuit: ne, aut populorum ſubditorum ditiones, ſui copiam deſiderarent; aut erigeret hoſtilis furor, in audaciam palpebras, quin aduretur. Quis credat, minacem, armorum ſanguine Chriſtiano perpolitorum fulgorem, confinia Poloniæ perſtricturum non fuiſſe? niſi cum fulguraret Conſtantinopoli; terreret VLA-

DISLAVS in Polonia. Quis ambigat tectas perfido colore alitis iras, longo odio, terrarumq́; perditarum dolore, in ſubitum erupturas impetum? niſi cum faſtuoſo volatu cogitationum in altum eniteretur; propinquam diſpenſatrici fatorum Sapientiæ, Regis noſtri providentiam, conſpexiſſet? deprehenſa & in Baltico, emergentia vndis monſtra; & ideò facilè compreſſa. Habitat intra nós quædam magna vis, non numinis quidem, illius tamen hominis, cum quo, ſingula ſyderum, in homines beneficia, partiri ſit neceſſe. Non perpes ille cœlorum error, non latens beneficentiſſimorū influxuum liberalitas, non amicus naturæ, ſolis, calor, veſtræ magis, o cœli! quàm VLADISLAI debetur benignitati. Si dediſtis, quod meteremus: vt meteremus, fecit VLADISLAVS. Si promoviſtis recepta ſemina: promota, fovit VLADISLAVS. Rependit & agris annuam munificentiam, tot annorum procuratâ conconſeruatâq́; fertilitate. Accepit tellus, quod daret: & beneficio, ad beneficium eſt prouocata. Iam verò, ut conſtantem æternumq́; hunc felicitatis faceret reditum, quantas impendit, cum facultatibus curas? cum vicina, hoſtili furori, provinciarum vrbiumq́; latera, veteribus inſtauratis, excitatis recentibus, murorum vallorumq́; præſidijs; perenni veluti roboris ſui complexu, cingeret? Surgunt ingentes propeɛ

rato

rato opere, ac velut ſua ſponte moles, prodeunt ex imis terrarum viſceribus, promptiora, tantò imperio, quàm Orphei cantibus, parere ſaxa; coguntur perfidis famulatæ veſtigijs in fidei tutelam, glebæ. Orator ſum non cenſor operum; numerum negligam, ut me impendam gloriæ. Rapit magnitudine ac pulchritudine ſingulari ſpectaculi, ingens ille furoris Moſchouitici ſcopulus, immortale gloriæ tuæ monumentum, Smolenſcum: cuius annua oppugnatio, cum ſupra centum millia hoſtium irrito eorum conatu fatigaſſet; tandemq; ruinas, machinis ſubterraneis admotis, edidiſſet: primum, ipſis ruinis, ſe in hoſtem præcipitantibus, pericula noſtra pro te pugnârunt; tum inſtauratis ruinarum ſpatijs, ſpes hoſtiles, caſu illo, terræ alliſæ; grandi ſurgentium munitionum mole, obrutæ ſunt. Quod etiam illud, æmulo robore conſurgens, eâdem in arce ſpectatur victoriarum trophæum? Agnoſco *Sigiſmundi* tertij invictiſſimi Parentis tui opus, agnoſco non tam recordatione facti, quàm ſimilitudine gloriæ. Audio etiam communi famæ voce, queri. Fortiusne ille, & felicius, arcem totius Moſchoviæ viribus defenſam, expugnauerit: an Tu, oppugnatam defenderis, expugnaturus; ſi Sigiſmundum, temporibus præuertiſſes. Diffiteri autem ego nequeo, & te in illo, & illum in Te viciſſe: vtrumq; ſimul triumphaſſe; vtrumq; ſimul, æternùm

triumphaturum. Diſcit, gemino, Magni Parentis, Magniq́, Filij documento, rudis barbaria, nec munitionibus incluſam, nec orbis viribus ſuccinctam perfidiam, tutam eſſe: eadem mænia, quæ pro perfidia pugnare iuſſa, corruerant; pro fide Sigiſmundi, immota ſtetiſſe: & quâ, contra perfidiam, indignatione ſceleris, ſeſe commouerant; ad fidei VLADISLAVIANÆ præſidia, nouo ſpecioſioreq; ambitu, conueniſſe. Gaudent, & cæteræ arces eadem Tuâ benignitate; aliæ autem expectant. Tam certa ſunt, quæ promittis; vt promittendo præſtes. Quàm verò ſe munitos, quàm felices tuis auſpicijs limites Poloni, qua parte Valachicis inſidijs, totiuſq́; orientis furori patebant, lætantur? Deductæ coloniæ, impoſitæ, cuſtodiarũ fortiſſimarũ, finibus, cohortes; datũ ſcutum potentiſſimũ Patriæ, manus inuicta bellatorum, vniuerſis. Hoc facto, quantum fuerit præſtitum, ſatis patuit: cum ſuperbiſſimum Turcarum Imperatoré, vt de ijs auferendis apud Te ſupplicaret, coegit. Non potuit petere, ne timeretur: petijt, quod timeret. Victos, formido ſequitur; victores, ſpes vrget. Itum, & in alia, huius propoſiti ſententiâ, commoda. Erepta Scyticæ vaſtationi, furtivarum prædarum licentia, & poteſtas, liberè Regni fines inuadendi; aut cum fallacibus veſtigijs irruperint, ad ſuos integrè revertendi. Vident populum frequentem,
vicinis

vicinis timendum viribus: atq; ſub ictu militari-poſiti, rapinarum ſæuam cupiditatem, ſucceſſus deſperatione, plectunt. Intuentur pariter agros. fortunatâ opulentiâ fructuum vberrimos, atq; rabiem famis, præſentiâ vetitæ copiæ, exagitant. Magnificum ſupplicij genus; improbam auiditaté, oculorum cõfodi telis. Iam, quod terræ illæ, fertilius cæteris Regionibus ſolum alant: nonne eodem tecum ſenſu, barbariei, turpem horrorem, immanes ſaltus, deſertas ſolitudines, exprobrant? vt cum hinc fecunditas, inde ſterilitas; hinc amænitas, inde rigor conſtiterit; ipſo ſui habitu, felices VLADISLAO terræ, & ſqualentes plagæ barbarorũ, dignoſcantur. Potuit antehac, cum neglecta iacerent arua, ſimilitudo naturæ, erroris & audaciæ præbere materiem; vt pro ſuis inuaderentur: nunc quicquid feliciter viget, VLADISLAI, tribuere coguntur fortunæ. Poſt vicina pericula, abundanti proviſione remota; ad viſcera Reipublicæ, Tuâ providentiâ converſa: vniuerſaq; Lithuania, ac Polonia, ne imbellem pacem ageret, armata. Tot enim excitata, in præcipuis vtriuſq; populi vrbibus, fortiſſima magnificentiſſimaq; bellicarum machinarum æraria: vt qui temporum rationes ignoraret, ſumma vi, bella geri, meritò credere poſſet. Hac ratione Vilna, hac Leopolis, hac Poſnania, hac Varſavia, munita: claro ipſorum operum argu-

mento,

mento, ea VLADISLAI manu, tam invictis mænibus, tam auguſta ſpecie, tam opulentis armorum omnis generis præſidijs, ſurrexiſſe. Actum id aliquando à Maximis Regibus, vt ma-iori gloriæ pompâ, in arenam laudum deſcenderes: actum minori curâ, & rerum dignitate, vt nullum opus eximium, tam perfectum eſſet, cui plurimum non ſuperadderes. At num Tuæ capacitatem mentis fugiebat? Polonos, hoc eſt Tuos, aperto Martis campo gaudere, prompta ferre in pericula pectora, cominus hoſtium latera rimari, & contumaces ſpiritus non pellere, ſed extrahere è corpore. Acies virum probat: vrbes & munimenta, imbellium receptacula. Se fert, Civis Patriæ in bellum, ſe publicæ dat ſaluti; non ſcuta, nec æris, plumbiue metalla liquefacti. Manu pugnatur, ſæuitur iaculis, atq; ignibus. Talem Te nos ſæpius admirati ſumus: Talem, Mars ipſe ſtupuit & expauit: cum, inter telorum, ac grandinum plumbeos imbres, ſolâ virtute Tuâ, & vulnerum profundiorum dolore notus, fortunam noſtram per acies circumferres, turbares ordines, perrumperes cohortes; tam certus, formidatæ nobis victoriæ, quàm virtutis tuæ. Non alias bellandi artes, Poloni à maioribus didicerunt: non alias invicto Tuo exemplo magis docuiſti. Permitte te Tuos ſequi, permitte forti manu, & Tuæ, publicæq; incolumitati, devoto ſpiritu, victorias quæri. Vinci nõ poſſu-

poſſumus, quoties, Tui imitatione roboris, pugnaverimus. Rem fateris, animum probas: Cives tamē ſervaturus,pro nobis elemēta in bellū̄ educis. Opponis viros viris, dextras dextris, pectora pectoribꝰ,fortuitæ autē mortis, pulvereis periculis;Tuæ virtutis artificio,imbuta metalli fulmina. Si idem, orbis totius, quod Polonæ virtutis votum eſſet; fortioribus prælijs, neq; tam diuturnis, bella gererentur; at nunc, cum natura rerum, in mutuas cædes armatur; quàm provido conſilio, munimenta hæc belli paciſq;, inſtaurantur, comparantur. Fluunt ingenioſis ducti venis, ad Tui imperij nomen, ærei fontes: facturi ludum Marti, niſi in ſolidiorem gloriam, rigore ſuo coaleſcerent. Reſumunt, confectam ſenio, bellandi vim, ingentia tormenta; quorum nonnulla, quanquam ſuis conditoribus corpus, Tibi animum & ſucceſſus debent. Signaſti metam glorioſis hoſtium cædibus, ad quam collimarent: & præmiſiſti fortunam, quam ſequerētur. Eant nunc, inflati vaniſſimarum laudum præcones: qui exterorum ingenium, quàm Patriam virtutem,ſuſpicere malunt: eant, & deſideriorum ſuorum errores, factorum præceptis inſtruant; docti non peregrinorum hominum mores, at VLADISLAI imperium, olim Patriæ optandum fuiſſe: vt ſuis votis potirentur, & res bellicæ,Polono, ac totius orbis ingenio,quia VLADISLAI præſcripto, gererentur.

tur, Hoc Rege, Poloni, bello & pace pugnāt, bello & pace vincūt: bello, præſentia, pace, aduentātia pericula. Ecce verò, defeſſo iā, & ſub onere rerū tā multarū, tā ingentium fatiſcenti, longū laudum novarum aperitur iter; florentis palmæ fronde, vndiq; ſuccinctum ac amabile, multitudine invitantium operum, terrarūq; ingentibus tractibus inſuperabile. Subibo igitur, viribus integris non ferendam fatigationem? Audio Curlandiam, oſtentato Principis ſui titulo, fœderum dignitate ædiumq; ſacrarum, ex pactorum fide imperatarum ſanctitate, ad laudes Regis invitantem? at Pruſſia, ſuam poſthaberi felicitatem, & ſe paribus ornatam meritis, queritur præteriri. Severia ſe ad libertatem vindicatam, Podlachia conſeruatam, Maſouia exornatam, Lithuania defenſam, Polonia propugnatam, vno encomiorum conſenſu, dici volunt. Nulla Prouincia, nulla urbs, nullus locus, vniverſo Regno reperitur, qui non maximis, pulcherrimæ pacis fructibus perfruatur, decoretur ornamentis, alatur vtilitatibus. Tua ingens virtus eſt VLADISLAE REX, et diſſitas, munificentiæ vinculis, connectere terras: & omnibus, benevolentiæ præſétiâ adeſſe locis, & diuerſiſſimorum populorum neceſſitates, vno gratiæ complecti ſinu. Intueri quoq; mihi videor auguſtum illud Tuæ pietatis, munificentiæ, immortalitatis, Sigiſmundo tertio Regum ac

Paren-

Parentum feliciſſimo; in publico Comitiorum Regni theatro, Maieſtatis domicilio, Reipublicæ centro, Senatus atq; Equeſtris ordinis fronte, Varſavienſi campo; ingenti mole, ſtatuâ ipſius Sigiſmundi gladio atq; cruce munitâ, faſtigioq; coloſſi inſiſtente, erectum monimentum? Salutate Romanam Ciues fortunam, nec aduenam, ſed Conciuem; quia vobiſcum, Regi veſtro, obtemperare aſſuetam. Placuerunt, veſtra illi, in parentando Romanæ libertati ſtudia; nouo igitur ſe magnificentiſſimorum operum commendat apparatu. Sic te omnes cœlites VLADISLAE Rex ament, vt Tu terrarum ornamenta in nos impendis: nihil quod ad felicitatem, nihil quod ad ſplendorem noſtrum pertineat, intermittis: adeoq; cum omnia Principum beneficia Tuæ æmulationi non ſuffecerint, noua inuenis, quibus nos dites. Stetit attonita ſaxeo gradu antiquitas, poſteaqnam è ruderibus, ſe ſenſit excitatam; & Romanis proſtrata fatis, Sarmatica ſurrexit ope. Ne verò dubitaret, an hic Roma olim concidiſſet, vbi illa ſurgebat: caſui ſuo proximam, Te dignam non fuiſſe, intellexit. Nuſquam verò in tanta celebritate facti, faſtus: nuſquam ambitioſa divinitatis affectatio; nuſquam rapti, inuitis cœlitibus honores, occurrunt: Sola in meritiſſimum Parentem ac Regem, artem iuxta, ac molem, occupavit pietas. Quòd ſi Boleslai Kriuou-

ſti ingenio, ad noſtra tempora propagata gloria, ob Parentem VLADISLAVM pendula de collo effigie, gratè cultum; tanto tu in poſteritatem ibis maiore encomio; quanto maiori Boleslao, præcellis pietatis exemplo. Ille, coluit Parentem, vt morum ſuorum cenſorem; Tu, vt publicæ Patrem felicitatis: ille priuato cultu profeſſus, quid ei deberet; Tu, publico teſtatus honore, ad quantam gratitudinem obligaremur vniuerſi. Abſit Boleslao laudem detraham; ſed meriti tui expendo dignitatem. Non capit Regnum duos & quicquid vnius impenditur obſequio, aut honori: alteri detrahitur. Cedat pietati VLADISLAVIANÆ, ambitioſæ diſcordia cupiditatis. Immortalem Parentem & Regem ſe cupiiſſe, abunde teſtatus eſt; honore ſibi debito, cum eo, poſt fata diuiſo. Regnare vterq; ſemper meruiſſet: ſed nos, quantum ſingulis deberemus, ambiguâ veneratione, hæreremus. Agnoſcamus Parentem in filio, quemadmodum ex aſpectu Parentis, filij venturam à longe proſpectabamus magnitudinem: duos Orbis Poloni ſoles, perennatura ſideris lumina, auctis honoribus, proſequamur, colamus. O Te renatæ lucis fulgore felicem Varſavia! quam iterum Tuus ille, ille noſter Rex, & communis Parens, SIGISMVNDVS proſpectat, iterum incolit, iterum partis diu commodis, auget. O Tuos, Sigiſmunde Regnorum ſupernorum accola, noſtrorum

ſtrorum amor, admirabili maieſtate venerandos vultus! nunquid non talibus, Regnum beat, Tui Simillimus VLADISLAVS? O Tuorum oculorum ſalutiferos omnibus aſpectus! nunquid non his, vniverſos excitat VLADISLAVS? O Tui pectoris ſpirantes adhuc divini Amoris flammas! nunquid non paribus improbos terret VLADISLAVS? Agnoſco manus! incolumitatis publicæ, vindices: agnoſco arma, ſepties centenis barbarorum formidata millibus: agnoſco crucem, Hæreſum profligatis triumphantem cohortibus: agnoſco autem, expreſſione Regum Maximi VLADISLAI. Rara & tanto Regi par, virtus; in comparationem ſummorum Regum, ſæcula advocare. Æquat gloriâ, quem amat parentem: & quicquid venerationis debitus ſubditorum animorum cultus illi detulerit; in cēſu numerat pietatis. Stabit igitur æternis ſūmorū meritorum fulcris, perennandum trophæum: geminatoq; Parentis & Filij, Regum, robore, temporum ruinas ſuperabit. SIGISMVNDE CASIMIRE; magna ante magnam ætatem, VLADISLAI Soboles, Poloniæ delicium, & ſpes auguſta. Tuæ, hæc monumenta, fixa, crede, imitationi. Te ad æmulationem tanti Aui, tanti Parentis, gloriâ invitari. Creſce, & ſpes noſtras perpetuis meritis, altius continuò attolle. Debebis VLADISLAO, quod ille impendit Sigiſmundo. Quanquam enim

nim ſolius pietatis curis, magnificentiſſima gratitudinis moles aſſurrexerit: glorioſiſſimo tamen, facta coluntur encomio; cum probantur imitatione.

SERENISSIMÆ
LVDOVICÆ MARIÆ

In maxima pacis ſecuritate, Diadema
Regale capeſſenti.

Vnum eſt
Quod animos in ſumma ſecuritate ſolicitos
habet;
SERENISSIMA REGINA,
Et DOMINA,
Vt nos imperio tuo, & fortunâ noſtrâ dignos,
Cultu & fortunæ reverentiâ probemus.
Hæc pacificarum mentium pugna; certare, de
te, affectu,
hic timor, inuigilare veneratione, ſecuræ gloriæ.
Advenienti in Regnum, animorum portas
recluſimus;
REGINÆ,
Animos, in ſolium erigimus.
Ingreſſa per pectora ad regnum, aſcende ad
ſceptrum.
Calca corda, non premes.

ſub-

Subſtrati, meritis plantis, affectus, infra pedes iacent,
Et tamen caput adorant.
Non cadit in terram cultus, ad dignitatem inclinatus.
Opulentiſſimus Polonorum cenſus,
Amoris tributum.
Quantus ſit,
intelligunt Principes,quicunq; opibus abundãt,
Egent fide.
Cincti Regijs vndiq; præſidijs, cingimus Reges animis;
Nullo maiori ſecuritatis partæ pretio;
Quàm
Securo Regum amore.
Superi Te REGINAM & AVGVSTAM!
Quantumcunq; beneficentiſſimo Regi penderimus:
nunquam tantum omnes,
quantùm ſolus omnibus, impendemus.
Aucta merendi felicitas, obſequendi cumulato debito.
Nec ſegniores cæteris ad imperia adſumus,
Quia liberi;
Retinuimus, quod non de ſtipe fortunæ, Principibus
ſacrum, offerremus.
Ea ſemper habita Regum, apud Polonos maieſtas;

Vt eâdem, ſecundùm DEvm mente, Principes ſuos colerent:
Integrâ, & liberâ.
Aſſume nobile Regalis diadematis aurum:
Hoc, noſtram in VLADISLAO ſecuritatem coronavimus;
In Te, reponimus.
Ab auro, aureæ menti Tuæ, pretium non quærimus,
Sed, ab aurea mente, auro.
Coronantur autem, & ferro Reges, cum ferreis curis.
Aureæ pacis, germanum decus aurum.
Poſt demerſum, hoſtili cruore à VLADISLAO ferrum;
Nihil vſquam ſeuerum apparet.
Imperabis,
Fortunæ, Paci, ſecuritati noſtræ.
Parebimus, votis, animis, amoribus publicis.

SERENITAS PACIS

AScende iam, aſcende, immenſum laudum theatrum VLADISLAE Rex, & orbem tuum cultu, Chriſtianum, atq; vniuerſum, diffuſo cum ſole ſplendore, diu ſerena. Nullus ſit, barbarus Rex, qui tuam potentiam non expaueſcat: nullus amicus, qui tuis Victo-

rijs

rijs non gratuletur. Menſuram deſiderijs imperantium fixiſti; vt ad Tuæ proſperitatis culmen enixi, maximi haberentur. Hominem Te non diffitemur,& Tu intelligis; ideoq; maximus, & optimus, quia intelligis: humanis tamen fatis altiùs euectus, ſortium humanarum inconſtantiæ, & viciſſitudini fortunæ imperas. Rex es hominum, & fatorum,eſſe videris. Bella geſſiſti maxima, periculis minimis; pacem colis diuturnam, virtutibus auguſtiſſimis. Cum ferrum manu tractares,continuas numerabas victorias: cum palmas ſuſcepiſti, perpetuos victoriarum parturis fructus. Si itaq; Themiſtio, vna nauis Imperatoris ſui, quâ fœdus cum barbaris pactum revexit, claſſe Xerxis, quâ ille, cum exercitu immenſo, traiecit Helespontum, ad laudem atq; gloriam amplior viſa; & oneraria illa, quæ pacem importavit, ponte, qui bellum tranſmiſit, auguſtior iudicata; quantùm & quàm auguſtum, neceſſe eſt orbi exhibeat vniuerſo, Polonia ſpectaculum, altiſſima pace Tuâ, vndequaq; circumfuſa. At nos, nihil nobis, nihil noſtræ fortunæ tribui,dum Tibi, tribuatur; optamus. Vnus es, quem vniuerſi reſpicimus; vnus, qui omnem, dignitatis pacificæ ſuſtentas maieſtatem. Neq; verò Te, dum pacem conderes, exiguâ Cymbâ, totius Reipublicæ fortunam, vectantem vidimus; ſed vaſtiſſimis campis, ſupplicumq; ante clementiam Tuã

proſtr a

proſtratorum, corporibus contextis, explicantem: neq; bellorum pericula oblatis redimentem conditionibus; ſed pugnæ auidum, Martis calorem, benignitate, ad parcendum, flectentem. Auguſtior tamen ſpectaris, in ſolio, quàm viſus ſis, in illo victoriarum theatro. Tunc audacia hoſtium, nūc fatorum; tum calamitas miſerorum, nunc ſtupor fortunæ; tum fracta armorum ærumnis, humana conditio, nunc ſuperata periculorum vaſtitas, ante Te adſternitur. Nō video, acies barbarorū inſtructas; ſed ſpecto arma, crudâ diffidentiâ condita: non adſum, latè ſparſis pugnantium cædibus, ſed intueor pauentium trepidos timores: non audio, graues morientium planctus, & extremis non ferior ſuſpirijs; ſed oblector recenſentium, ad poſteritatis honorem, Tuam virtutem, numero hoſtium. Cū ad Tuas reſpiceremus victorias, incerto bellorum in diuerſa rapiebamur exitu: cum pacem cogitamus, in Te ſolo, attoniti hæremus. Manu, in bellis geſſiſti fortunam; nunc ſinu complecteris. Victoriarum ſpe, antea gaudebamus; nunc alimur commodis: quantumq; gaudere, antequam eueniſſent debuiſſemus; gaudendo diſcimus: & vt magis gaudeamus, conſuetudine, gaudia roboramus. Vnde verò, hæc tanta in maximis bellorum Europæ tempeſtatibus quies? vnde tam illuſtris, in ſummo rerum turbine, ſerenitas? Serenum eſt Cœlum, cum terris

fauet;

ſauet: & ſauet,cum ſerenum. Nulla tamen tam beatarum terrarum narrantur vocabula, quæ perennem merita ſerenitatem, nec cœlorum æſtibus, nec rigoribus frigoris, nec imbrium inundatione, aut niuium magnitudine, diuexentur. Hæreo itaq; ambiguus, & nomen felicitati, niſi ad Te animum conuertam, VLADISLAE Rex, non inuenio. Geſturus nimirum, e dignitate, Polonum imperium, cœleſtium Principum animos, Tuis regnis, ſociali fædere addixiſti; ut cùm Tu digna talibus ſocijs geſſiſſes, illi paria digniſſimo ſocio, ac Imperatori, rependerent: nos, maximis veſtræ beneuolentiæ vtilitatibus, gauderemus. Patent patrium ſtudia, patent ſancita fædera, patet ſeruata ab vtriſq; fides. Intellexeras, ex diuturna eorum conſuetudine, ſola ſinceritate & candore tam beatæ amicitiæ iura conſtare; illâ, bellorum præſidia, illâ tutelam Rerumpublicarum, illâ, perpetuæ pacis comparari felicitatem: & mox, regnum adeptus, non modò animi promptitudinem, nullis vnquam labefactatam temporib9, maiori pietate obſtrinxiſti; verùm ut Rex, Regio more amicitiam coleres; eoſdem, perpetuis in terris delatis honoribus, ſacriſq; trophæis erectis, remunerâſti. Num verò illi, promiſſa, ſubtraxêre unquam, ſocialis conuentionis præſidia? Teſtor tuam ſacram dexteram, teſtor collata inuicem conſilia, teſtor victorias, prognatas vi-

ctorijs,quoties, præſens Tibi, diuinum Numen adſtiterit, Tuum Vibrârit mucronem, auxerit prouentu virium, exercitus, muniuerit protectionis ambitu, ſecuritatem. Huius Societatis fructum profitemur; quòd vitâ, quòd incolumitate, quod eâ, quam loquor, Pacis ſerenitate, priuatâ, publicâ, & quod caput rei eſt, Tuâ, quâ minor turba uiuimus,donati ſumus; huic acceptum referimus, quod ruinas quaſſati undiq; orbis, gemitus Prouinciarum, cadauera regnorum non ſenſimus. Oraculo, divini pectoris Tui, & rerum, argumentis verba firmo. Nonne Tuæ confeſſionis encomio, in ampliſſimo omnium ordinum conuentu, Sacramentum fidei, ſuperis datæ enunciaſti? nonne ex pactorum edicto, ſacro Camalduenſiũ Religioſorum cætui, Regias poſſeſſiones attribuiſti? Tenemus tabulas,verſamus, & expreſſum, in vocis imagine, mentis veneraturi ſimulacrum, ſæpius animis libamus. *A tempore*, inquis, *quo libera utriuſq; gentis electione, in hoc ſublimi Regalis ſolij conſedimus faſtigio, nihil nobis antiquius fuit, Divinæ gloriæ propagatione.* O caput, dignum diu coronari! ô diadema, divinarum curarum eximia ſedes! Prima cura tua, res numinis ſunt? igitur prima numinis, res Tuæ. Non poſſunt, cœlites beneficentiâ ſuperari. A tempore verò, quo faſtigium Regale aſcendiſti, hæc à Te ſtudia ſuſcepta? At nos ante conſpeximus &

hæc

hæc ipſa coronavimus. niſi Tu Rex eras, priuſquam dicereris? Hoc pietas affirmat; quandoquidem ſimul cum eâ, purpuram induiſti. Quid deinde? *Sacramentum itaq; cœlitibus diximus.* Regē Poloni agnoſcamus, Deo addixit imperium, aut ſubiecit, ut augeret. Noluit ſolus imperare; vt pluries prodeſſet. *Sacramentum diximus?* Credidiſſent Tuis nutibus cœlites, non iuramentis. Pietas exuberavit, non fides requiſita. Cur autem, Tuum profers, retices ſociale? Obligari vis, & ſi non obliges? Hic mos & ſuperis. Similitudo actionum, amicitiæ robur. *Sacramentum diximus, debitæ pro imperij collati, atq; victoriarum beneficio, gratitudinis.* En ſacræ mentis arcana recluſa. Quā fortunata noſtra, vota, & felicia ſuffragia! Quem nos Regem dicebamus, ſalutabant ſuperi. Debes igitur eis electionem, imò Tuis meritis. Quem ex omnibus digniorem elegiſſemus? Debes tamen, quia vis. Ardua in Principe virtus, credere ſe obligatum. Victorias pariter ad eoſdem refers? Hoc ego aſſerui; hoc vniverſi ſuſpicabamur: cum præeuntibus ſocialibus copijs, Tibi vni conſpicuis, tanto curſu, ad Regni limites, exercitus, Tuos raperes: tanquam, nullo corporeæ molis corpore, feſſos ſpiritus, ſequereris. Sed iam audivimus, quid Tu Cœlitibus debeas: audi quid illi Tibi. Amant hoc dici, & humanis debere obſequia meritis,

lucrum

lucrum ducunt. Quanta igitur inprimis illa Tuæ benignitatis in illos profuſio, quâ ſacrum triumphum Diuo indigeti & Conſanguineo Principi CASIMIRO, innocentes beati corporis exuuias, in ſolidi marmoris magnificentiſſimum translaturus mauſoleum, inſtruxiſti? Tenuit, ſtupefactos, Cœlici apparatus gloria, omnium oculos; maiorem admirationis partem, Regia maieſtas, facta Divi feretri aſſecla, ſibi uendicauit. Nunquam Tu ita conſpiceris, ut tota aſpectus magnitudine ſubeas: inſolitâ tamen, altiſſimæ dignitatis, auguſtior viſus ſpecie, triumphum Regij iuuenis, Rex & triumphator comitatus. Non miſcuit populo Regem, pietas; ſed monſtravit. Nuſquam ſublimior Principum ſpectatur maieſtas, quàm ad publicæ ſanctitatis, inclinata exemplum. Magnus cenſeri rectè nõ poteſt: cuius magnitudine vnius Palatij anguſtijs incluſa, quæri etiam ſolet, num ſit? magnus ille cenſendus Princeps: cuius maieſtas ad omnes pertingit, & vbiq; præſens conſpicitur. Tantò etiam magis, Tuum hunc, mirabamur animum, quòd ut honoribus cœlitum indulgeres, Tuæ valetudinis áffectæ, detraheres commoditati. Negantibus ſuum officium pedibus, miniſtrorum manus, generoſo addixiſti obſequio. Incedebas cum portareris; non pedibus, ſed affectu. Legimus veſtigia, non plantarum, ſed virtutum; piæ demiſſionis, demiſſæ pietatis.

Hoc calle, ad coelum itur; his inceſſibus, non ſubſidet, calcata àeris molities, ſed ſubſilit. Venit tum plurimis in mentem, antiquiſſimorum monumentorum commendatione, ornata narratio; Ioannem Conſtãtinopolitanum Imperatorem, deuictis Saracenis, triumphum à Ciuibus præparatum, ad Reginæ cœlorum venerationem conuertiſſe: eiuſq́; ſacros vultus, imagine expreſſos, ipſo Imperatore, candidos deducente equos, curru triumphali, per vrbem uexiſſe. O factum ſolaribus radijs ſcribendum! O facti expreſſam ſimilitudinem, luce pingendam meridiana! Nunquid non tuis recentibus ex Moſchouia victorijs, immenſi decernebantur triumphi? Num non tu, Reipub. totius vocibus, è ſublimi triumphalis gloriæ vertice, ſpectandus exhibebaris? Optauimus, Romanam videre pompam, vidimus cœleſtem. Optauimus, Moſchouitica ſpectare ſpolia, vidimus, diuina arma. Optauimus, captiuos cernere barbaros, uidimus, catenatas uitiorum cohortes. Pro auro ex hoſtibus capto, Regiæ opes à iuuene Diuo calcatæ: pro caſtrorum deditorum ſimulacris, Orbis faſtus proſtratus, exhibitus. Auxiſti votorum felicitatem, beata ſcenæ mutatione, cùm ſolus, abſq; collega Regio, triumphare recuſares. VLADISLAI Regis triumphales vultus, uictricia arma, clypeos, haſtas, lauros ſpectare deſideravimus: CASIMIRI, Principis

Divi, immortalis ſplendor, cœleſtes purpuræ, lilia, palmæ, auctuario proſperitatis acceſſerunt. Ne lætitiâ diſtraheremur; IAGELLONIVS, idemq; ſanguis, vtrobiq; emicabat. Præibat ille ingenti vectus pompâ; Tu proximus ſequebaris: quia vos quidem, ò Magni & Pij Principes, ad cœleſtium mentium conuerſionem dirigimini; nos ad veſtram conuertimur imitationem: inter uos & illos, ſola mortalitas intercedit; nos vilitate quoq; noſtra ſeparamur: Altius eminet, Tuus idem animus, Dei MATRIS Virginis cultui, admirabili pietate devotus, quâ quicquid auguſtum ac ingens Polonia colit, totum id, ad eius veneratiosem proſternis: Equeſtris ordinis dignitatem, authoritatem ſenatûs, Regiam maieſtatem. Tandem, purpurata, gaudet publico, auguſta Reginæ cœlorum Religio. Tandem Rege VLADISLAO, REGINAM ſe eſſe POLONIARVM [placito olim gloriæ ſuæ titulo] luculentius probat, maxima poſt DEVM, MARIÆ maieſtas. Num aliud verius aſſeram? cum erectâ ſacrâ Immaculatæ eius conceptionis aulâ, Te, cùm vniverſo Senatu, divis Dominæ & Reginæ honoribus ſtudentem, intueor. Vbi Regi & ſenatui, MARIA præſidet; Regis & Senatus, Regniq; Regina eſt. Quæ hæc noſtra ſors? Miſcetur maieſtas terrarum, ſupernæ, geminatiſq; honorum titulis, ijdem, MARIÆ & Poloniæ Principes

cipes, audiunt. O dierum illarum quæ illi conſecras decus,Tuæ & noſtræ felicitatis VLA: DISLAE REX auſpicem! O ſolis reducis ortum, quem eius gloria illuſtras, Tuæ pietatis clariſſimam facem! O horárum illarum momenta, quæ inter ſupplicationes ſacras, VIRGINI MATRI tanſmittis,ingentia tui in eam affectus pignora! Non uſitata hæc, Principum laudibus, præconia: at magna; at cœleſtia. Heu ignominioſam ſæculorum noſtrorum labem! Eò demùm amentiæ, nonnullorum iudicia prouecta, ut pietatem, cum Principis dignitate non poſſe conuenire, iudicent: DEVMq; ab operibus & laudibus humanis, excludant. Tandem cùm placûere uitia; virtus ſceleris accuſata, improbis iudicijs, per nefas plectitur. Glorioſius exhibet ſpectaculum, Imperator ante aras ſupplex; quam terrarum imperijs, effultus. Proſtrata, ad Numinis cultum maieſtas, Deum, humanæ magnitudini, ſuperaddit. Licet, licet curis Principum, diuinas adiungere; adeóq; qui res publicas ſine Deo curat, nullas curat. Quantùm pietas Regum ac populorum, tantùm & Reſpublicæ creſcunt: deficiente illâ; hæ, viribus & felicitate linquuntur. Eiuſdem argumenti grandior materies, Epiſcopatus Smolenſcenſis, in Seueria ordinatus, ampliſq; reditibus & Senatoriâ exornatus dignitate. Dicerem, Te ſtipendia

Tuis commilitonibus, terrarum deuictarum partitione, ſoluiſſe: niſi maximus in Reipub. honor, ſtipendiarij nomen repudiaret. Eſt tamen re verâ, ſtipendium virtutis, omnis dignitas; quod,etſi virtus non exigit, exigitur ab ipſo. Intereſt & cœlorum, Polonos viciſſe: quorum ornantur præmijs, ſpolijs ditantur. Felices terras, quæ ad Tuos acciderunt pedes; ut ad Dei, glorioſiorem cultum, erigeretur: Tua ſuſceperunt ueſtigia; ut pietate fecundarentur: Tuo acceſſère imperio; ut à ſeruitute durâ animorum, longiſſimè abeſſent. Mutâſti, inſolitâ induſtriâ, victoriarum naturam, miſeramq;, victarum conditionem Prouinciarum, eâ felicitate beaſti, quâ victores gauderent. Gratulantur iam illæ ſibi, ac ſe inuicem reſpiciunt, tantò maiori plauſu, maioribuſq; pro Te ſuſceptis uotis, quantò plus in animos poſſunt, conſpecta ſuorum malorum, in vicinis Moſchouiæ campis, quàm cogitata pericula. Gaudet pariter, grati æmulatione cultus, lætũ Nouogrodecum, contra affines errores, Societatis IESV virorum, excubijs armatum. quæ quidem religioſi cœtus cohors, quanta quanta eſt, Tibi ſacra eſt. Tulerit enim illa, ſæculari patientiæ conſtantiâ, decumanos aduerſorum temporum fluctus, integram virtutis infractæ, innocentiſq; roboris famam, Tuo beneficio ſubnixa, ultra ſæculum protulit, proferretq; ſuper omnem ætatem.

Poſt.

Poſt ſuperatam nimirum, centenariam æui laſſitudinem, antiquis ſtudijs, laboribus, viribus uiuida; in vrbis capitolio, orbis auribus, Tuæ approbatione laudis, audit. Verùm conuerte animum Tuum Rex PIISSIME à Diuis ornandis, ad eos tutandos: præbe ſocialem inuocantibus fidem, porrige opem. Diſcant improbi, Magnum cœlorum vindicem VLADISLAVM; & contra Te, bella ſuſcipi, quæ contra ſuperos geruntur, intelligant. Ecce enim nouum ab inferis erumpit monſtrum. Vt germanam Plutonis agnoſcas prolem, Principem Beatorum Spirituum Michaelem, olim ſtigij exercitûs victorem; reſumptis ab inferis Viribus, ſummo ſcelere & furore petit. Peractum bellum eſt, ſi cœleſtis hic Hercules, arma corripiat; Verùm, ſuum ille, in Te retulit præſidium; ut Tuo, ipſe militaret. Huccine demum, nefandum Iconoclaſtarum regnante VLADISLAO procedere auſum ſcelus? ut non centimani ſed centies ſcelerati Briarei, contra Diuos impias armarent manus, peterent cœlos, immortales Spiritûs, conuerſa in eorum effigies rabie, ſi uires improbitati ſufficerent, enecarent? Nondum vos tot locis, quot conſtitiſtis; tot Vrbibus, quot acceſſiſtis; effuſus ſatiavit ſanguis? Nondum ſuffecit violatus, tot non hominum, ſed virorum, nec virorum, ſed Martyrum honor? Quo me rapis dolor? ſcelus

 hoc

hoc memorari ſine labis contagione non poteſt. Expiandum eſt publica confeſſiòne, deinde tota Polonia, in tanta cauſa tribunal aget; tum verò meritas pœnas luet. Inuocari, in tanto crimine, VLADISLAI pietas, diu non debet. Coniuncta eſt, Dei & Regis, læſa maieſtas. Vindicabit! nullaq́; Potentiſſimorum in Republicâ Principum, ſe ſinet, à iuſtiſſimis pænis deduci interceſſione. Sortita res, quem omnes boni optabant effectum: Hydraq́; capitum minor, publico decreto facta: ſupplicio quidem, ex mœnibus; deteſtatione omnium, ex Orbe eiecta. Quis peſtem hanc non fugiat, cùm corpus ſectæ, graueolens, ſynagogæq́; peſtilentis cadaver, extra hominum conſortium, proiectum viderit? Quis tuas curas VLADISLAE Rex Tuaq́; ſtudia non veneretur? cùm per te, exitio grauiſſimo, ſedem Lithuaniæ liberatam, cogitauerit? At Hæreſis vix iam ſpirans, & ciuitatis eiectamentis infoſſa; frendet tamen, & unde exciderit, cum dolore reſpicit: ut non memoriâ tantùm, verùm etiam continuo ſenſu ſuppliciorum, quoties in delubrum, opinionum improbarum, ſceleratam ſedem, turri præcipitatâ, ad profanarum ædium ordinem redactum, uultum retorſerit; torqueatur. Quod ſi lenimentum aliquod doloris, criminum adfert Societas; habet Arrianos, Racouienſis procellæ turbines, paribus nefandiſſimo-

rum

rum ſcelerum probris, ſanctiſſimarum pœnarum tormentis, æquatos: hos adeat, & pari inſania, in diſpari religionis cultu, ſe exercitatam lætetur. Miranda diuerſiſſimarum ſectarum concordia: quod altera in credendi dogmatibus laudat, altera fugit: utraq; in ſcelera, antiquiſſimorum ſæculorum exprobratione damnata, pari conſenſu ruit. Damnant heſterni ueſpertiliones, veteres tenebrarum incolas, & mox luce veluti quadam, iiſdem tenebris affuſi; ad eos conuolant. Simul probitas improbitaſq;, pietas & ſcelus conſiſtere videntur: ut quos, impios Numinis hoſtes, execrantur: ab ijs, eiuſdem Numinis reuerentiam diſcant. Sed cur eos ſceleris arguo, quorum nullum ſcelus produco. Horrendum, ingens, infame portentum, lucem fugit: ne ſol, renouata in ſeruatorem humani generis è cruce pendentis, vulnerum ac blaſphemiarum crudelitate; caliget. Caligaſſet fortaſſis, niſi VLADISLAVS, ab aſpectu tam immanis prodigij mærentem, ad ſpectandam pœnarum lætitiam auertiſſet. I crudeliſſima rabies Gigantum, nec bella cœlitibus moue. Tollere caput, non potes; niſi, ut intereas. Quamuis Pellion iungas Oſſæ; Ioue ueteri, opus non erit, cum VLADISLAVS cœlos tuetur. Tractas alta vulnera, & ſtupes, uiuis, & proſtratam Te ſentis, poſteaquā Principibus latrocinij, pœnâ profligatis; capite & men-

te, hoc eſt, literarum tractandarum, plecteris ſublata libertate. Bonæ artes! in quæ uos ſermonem attoletis encomia, ab ignominioſa improborum crudelitate, ad libertatem verè religionis tutandam, vindicatæ? Hoc Principium dicendi, nullo exitu dictionis; hæ gratiæ, nullo gratiarum modo, terminari debent: ſi ſenſus, ſi vigor, ſi cognata vobis gratitudo ineſt. Parendum tamen neceſſitati, nouo ortu, ad ſpectaculum gloriæ invitanti. Satis iam nimiumq;, ad Principis Pijſſimi occupandam laudem, ſatis ad immortalem famæ obtinendam arcem, collatum videbatur: cum ecce inuſitatum, & ingentibus populorum ſtudijs, regnorum votis, poſteritatis gratijs comitatum, edicitur facinus; quo libertate Polona illæsâ, licentia conſcientiarum frænaretur, & ad germanæ Matris ECCLESIÆ ROMANÆ gremium, transfugæ, exules, contumaceſq; filij, reuocarentur. Lux quædam noua oriri cœlis viſa, mœnia ac muri ſiſtendi ſe cupidine ſubſilire; oppida, Civitates, Vrbes, gaudio commoueri. Redivivum alij mirari Conſtantinum, victricibus caſtrorum ſignis, adoratæ Crucis labarum ſubſtituentem. Auſtriacum alij Caroli quinti, in Superos ſuſpicere animum; fortunatiſſimorum triumphorum vires, ad eorum decus propagandum conuertentem. VLADISLAVM cæteri, propinquiori nominis omine, conſalutare Iagellonem,

Lithu-

Lithuaniam, ad Chriſtianos ritus, excolentem. Reges,regnaq;,in vno Rege,ſurgere viſa. Viciſti VLADISLAE, ſpes omnium & vota, viciſti! Maxima ſpondes, maiora præſtas: quæ petimus confers; quæ optare non audemus, ſuperaddis.Pax,Regis fortunatiſſimi,fortunâ ſuâ fortunatior:pax,ImperatorisInuictiſſimi,Victorijs auguſtior. Vicimus Poloni,plaudunt cœli.Vicit VLADISLAVS, triumphat Chriſtus. Patuerunt clauſo Iano,cœlorum fores; & deuictis Prouincijs, pugnatur contra uitia. Dulcedine pacis externæ illecti, ad animorum concordiam uocantur ciues: ſine quâ, nullæ firmæ durauêre ciuitates. Miratur deuocatus ſedibus ſupernis, nouitatem opinionum, Miecislaus: ſtupent nunquam ſuis temporibus conſpecta prodigia, Boleslai: horrent, repulſa à ſe, irrupiſſe in Poloniam monſtra, VLADISLAI; mox ad Regis noſtri cœlicas curas conuerſi; illum ambiunt, illum circumſiſtunt, illum, ſolij ſui, & animi germanum hæredem,illum glorioſiſſimæ perennitatis ſocium vniuerſis ſpectandum oſtentant. Suſpiciamus, amemus, miremur pariter vniuerſi. Quis ſcit, an aliquando remigratura ſint, verè Polona tempora? quibus,libertas; non peccandi munimentum audiebat,ſed vniuerſis, eadem de Deo ſentiendi, eodem cultu colendi, lex,habebatur.Ærumnoſiſſima ſeruitus ſcelerum, libertas Polona, cenſeri non poteſt. Peregrina

eſt, aduentitia eſt; nec cultus, nec mores parentum novit. Bene itaq; ac ſapienter is conuentui locus dictus, cuius vniuerſum penè corpus. contagio, diſſentiendi à Romano capite, affecit: ut ubi plurimum inualuit morbus, uires perdat; faciliori cæterarum partium curatione, ſubſecutura. Admiſſi externarum Academiarum Doctores: ut omni imbecillitatis excuſatione ſublata, fortius ruerent errores: ſenſuſq; veritatis ad plures pertingeret. Non ſolis iam gratulabimur, Granadilli prærogatiuam, conceſſam Indijs; ut nectatur apice in ſpineas coronas, acuatur in clauos, aptetur in haſtas, flectatur in flagella; cum paribus ſuccreſcit meritis VLADISLAI laurus, ſuô, caput cœlicum coronatura complexu; & glorioſa dolorum olim, nunc ſalutis humanæ inſtrumenta, ad orbis venerationem, in Regalis maieſtate verticis expoſitura. Vigebit, barbaro natum cruôre, triûphalis frontis decus, ſanguine diuino, pietatisq; rigabitur rore, ac æternâ fouebitur tutelâ: perênis lætitiæ pariturũ ſoles Dierum etiam fortunatiſſimorum inuocco felicitatem! auguſtas tædas, & nouam rerum faciem. In quantas ſpes, in quanta gaudia, VLADISLAVS & LVDOVICA, Auguſtiſſimi ſponſi, & Reges, mentem impellunt! Si felices unquam fuimus; nunc eſſe incipimus: Si beati, nunc beamur. Non ſufficit pectus, inundanti lætitiæ, nec votis gratulatio. Accedant inclytæ

Galliarum, Italiæq; regna, Mantuanuſq; ac Niuernienſis Principatus: & quam, cum Ludovicæ Ducali Regioq; ſanguine, regno infuderunt; nobiſcum diuidant lætitiæ inundationem. Quàm merito ſol erubuiſſe cenſendus, poſteaquam tot ſimul purpuras, in VLADISLAO & LVDOVICA, Principum, Regum, Imperatorum, coniunctas æterno connubij fædere, conſpexit! Quàm latè etiam publica commoda dimanarunt, cum Auguſtis Vinculis, ingentes Prouinciæ, Ducatus, Imperia, in amicitiæ ſocietatem colligata? Admoneo fortunam, quanquam ſatis hactenus munificam. Quidquid, virtutibus maximis, unquam impenſum, Principibus noſtris debetur: quidquid, dignitati ſummæ collatum; iure exigitur. Hæc poſteaquam omnia contulerit, quod ſupremum eſt, à vobis cœlites petimus: ut VLADISLAVM & LVDOVICAM diu incolumes, diu poſteritatis aſpectu, & tranſmiſſis ad hæredes purpuris, beatos, nobis donetis. Non moueat virtus, matura coelo, inuidiam; nec immortalium gloria operum, mortalitati eripiatur. VIVE, & de vita noſtra, Tuis adijce annis, *VLADISLAE TERROR BARBARORVM*. Hunc tibi titulum, æternum victoriarum marmor ſcribit. Pugnaſti ſemel, uincis ſemper fractos armis, edomas pauore. fulmen eras, dum in hoſtes rueres, dum fulminea tela, celeritate æmulareris, dum

orbis

orbis collecti vires, impetu grandi frangeres. Fulmen es, ſed innocuum; dum hoſtes fortitudine proſtratos, terres, non lædis. *VLADISLAI Regnum fulminum* Domus. Vive VLADISLAE; *hortus regalium virtutum.* Has Tibi laudes laurus perpetuò virens, fronte præfigit. Poſt uictos hoſtes, Te uiciſti. Ne fortuna, quod egeras, ſibi uindicaret: bellis famulatam, in obſequium virtutis, addixiſti. Quo tempore, Principes, otij domicilia repetunt, virtutis acceſſiſti ædes: in bello fortiter geſtis, domi ſanctè, utrobiq; glorioſè, conſpicuus. *Regnum VLADISLAI, Gymnaſium Principum.* Vive VLADISLAE *Civium ſeruator Benigniſſime.* Hoc Tuum encomium pectoribus noſtris ſculpimus; Tuum eſt, quòd viuimus. Vt protegeres, Te in pericula dediſti: ut ſervares, Tuarum Curarum, fouiſti gremio. Plus Tibi debemus, quàm vitam; quia, tot, vitas ſinguli, quot, viuimus vniuerſi. In vno omnes, in omnibus ſingulos conſervaſti. Tibi uiuimus, quia Tu nobis, Tibi ſeruamur, quia Tu nos ſeruas. *VLADISLAI Regnum Gratitudinis* Domicilium. Vive VLADISLAE *Amor Cælitum.* Hoc de Te ſentire vota cœlitum iubent. Gladio, Crucis triumphos paras; pace, decora auges. Per vulnera corporum hoſtilium, ſalutem animorum Ciuilium, quæſiuiſti: ibi contra ſuperſtitioſam perfidiam, hic contra ſuperſtitioſam Imperator pietatem.

tatem. *VLADISLAI Regnum Arx religionis*. Vive VLADISLAE *Europæorum Principum Gloria, & Robur*. Orbis Chriſtiani flammas, barbarorum reſtinxiſti cruore; orbis Chriſtiani vulnera, ſcuto protexiſti Polono. Docuiſti, vnus, & totus Princeps Catholicus; quid poſſint Principes omnes, ſi toti Catholici. Æquitatem bellorum ſecutus, regnorum exuiſti cupiditatem: armatus, quamdiu cauſæ ſuſceptorum armorum, ſubſiſterent: mitis, poſteaquam irarum impetus, abſq; iuſtitiæ conſortio, in campum prouocauit. *Regnum VLADISLAI Murus Orbis chriſtiani*. Vive & Tu, Auguſta Regis tanti conſors, LVDOVICA MARIA. Vive Regina & Domina Clementiſſima. Vive terrarum lilium, Cœlorum Roſa, ingens Poloniæ ſpes, & Auguſtum, fortunæ incrementum.

EIVSDEM SERENISSIMI REGIS AVGVSTÆ CONSORTI; Cæciliæ Renatæ Auſtriacæ.

ELOGIVM FVNEBRE 1644.

Grandis calamitas,
Ab ortu ſereniſſimæ Reginæ

Publi-

Publicæ fortunæ incubuiſſet:
Niſi, ſuperſtes Dominæ virtus,
Monumentum erexiſſet; ut tegeret Tumulum.
Regum funera, regnorum vulnera.
O quàm lentè maxima! quàm ſubito minima,
ex maximis!
Ac tantò cæteris minora, quantò magis
imparia ſibi, paria minimis.
Quanquam
Magnus Magnorum cinis eſt:
Maximum mortalium documentum;
Momento Homo, diu cinis.
Falleris tamen, quiſquis, Sereniſſimæ Cæciliæ
Tumulum quæris.
Quicquid, eius nomine auguſtum, ſpectaveris;
Trophæum virtutis venerare.
CINIS hîc iacet: at flammâ, Cineris artifex,
altum tenuit:
Et ſidera, nova luce accendit.
Splendent cœleſtes ignes,
Quanquam interdum, ſplendorem non prodant.
Fiducia ſuprema virtutis,
certum beatæ felicitatis Authoramentum.
Paucis illa datur, data Sereniſſimæ CÆCILIÆ.
Mortis nuntius, Æternitatis fortunatæ
prodromus;
Mors, Ianua viſa.
An tuto ingrederetur, expectandum erat,
ingreſſa eſt gaudens;

gaudio

gaudio domini, in quod intrabat, prælibato.
Aſſurgat Roma, ad ſuæ CÆCILIÆ organa,
Nos, ad noſtræ Cygneos Cantus.
Conſonat vtraq;,
Eidem ſponſo, illa ludit, iſta canit.
Conuiuium ſcilicet Magnum, cuius CÆNÆ,
Regina acceſſit, non minus gaudet Muſicâ
& Cantu, quàm dapibus.
Tempeſtiuè debuit inchoari cantus, nunquam
finiendus:
Sacer eſſe, cœlo accomodus.
Felicem mortis paſſum!
Quo, ſpe lætum occinente, animus corpore
ſolutus, ad Deum ſalit.
In ingreſſu tamen immortalitatis poſita,
Terras quoq; reſpexit:
non, quòd Regnum, meliore mutandum,
ambiret;
ſed quod ambiretur à nobis.
Doluit,
Se, à SERENISSIMI CONIVGIS, felici
conſortio auelli,
[Cor inquiens meum doleo]
Quòd immortalis, VLADISLAI Regis virtus;
lædi triſtibus, mortalitatis fatis, non meruiſſet:
& quòd,
Vitæ proxima mortali,
Ex eo potiſſimum mori, ſe ſentiret;
Quòd diuideretur VITA eius, à Corde.

Doluit,
Cariſſimum LECHIÆ pignus,
Maximo cœlorum beneficio nobis datum,
SIGISMVNDVM Principem, Matre orbari;
quod,
præſidijs, & exemplis SERENISSIMI
VLADISLAI, abundè inſtructo,
pars Magna ſolatij MATER, ſubtraheretur.
Doluit deniq;,
Se ſuæ familiæ eripi.
Magnum enim *SATELLITIVM* Amor:
& in morte, CARIVS.
Regnum tamen curis complexa,
Animum, cœlo non ſubtraxit.
Beatorum inſuper ſingulari advocato præſidio,
Admotis ſumma veneratione DIVORVM
lypſanis,
Voce iam non peregrina, quia cœleſti;
Exclamavit:
ARESTATE me *BEATI*,
Vel ad vitam, vel ad Æternitatem.
En Principem!
Parem omni Temporis, ac æternitatis
Neceſſitati:
Hinc, parem ſibi,
REGINÆ, AVSTRIACÆ, CÆCILIÆ,
Et heu! iam non nobis, ſed aſtris RENATAE!
Felix illa, cum naſceretur,
Quia AVSTRIACA Princeps;
Cum

Cum imperaret,
Quia nec illa; amantiores ſui ſubditos,
nec ſubditi, meliorem dominam optarunt:
Cum moreretur,
Quia meridiano ſole, ad virtutem ac gloriam
coruſcante, quam, ſanctiſſimâ vitâ meruerât,
Beatiſſima morte, Aeternitatem occupavit,
Magna ſit, Philoſopho felicitas, in ipſa
felicitate mori;
Maior ſanè, morte, felicitatem perénandam
inchoare;
Maxima, Sereniſſimā REGINAM vtraq; potiri.
VALETE!
Hoc REGINA iubet.
Aeternum,
BENE IPSA HABET.

PANEGYRICVS

In laudem Sereniſſimi Poloniæ & Sueciæ Principis CAROLI FERDINANDI In ingreſſu ad Epiſcopatum Plocenſem ſub titulo VIA REGIA Per alluſionem ad ſtemmata eiuſdem

No-

Nomine Domus Profeſſæ Vilnenſis. 1644.

AQVILA POLONA

FELIX AC FAVSTVM

Ingreſſûs augurium, ſublimis cœloq; Sacri SERENISSIMI CAROLI animi, inſigne.

INgredere bonis auibus, diu tui deſiderio flagrantem, honori devotam Vrbem, Antiſtitum gemma, Principum ſidus, CAROLE SERENISSIME! Supra terras, Jagiellonicus, Auſtriacuſq; callis Te Vehit: repentium humi fatorum pericula, calca. Altior, populari tramite, portaris: Voto, ore, plauſu omnium, Aquilis Tuis. Immò, cœlum Tua via eſt. Regnatrix Ales, propinquo ſole gaudet; & deſpectâ terrarum humilitate, Sideribus dominum infert. Moliantur alij, ad ſuorum Principum magnitudinem oſtentandam, immenſas ſuperbarum porticuum moles, flectant arcus, attollant monumenta: deſpicit hæc, ab alto, ſublimis Aquila, & quidquid humana manus, altiſſimum erexerit, tranſcendit. Magna illa credimus, quia parui ſumus; & res, non ſua mole, verùm, noſtrâ metimur exiguitate. At Sereniſſimus Princeps CAROLVS, Aquilarum obſequio

vſus

vſus, æthera pro terris incolit: accipitq; à uicinioris ſolis radijs Lumen, quod, in terras, benigniſſima Serenitate ſpargit. *O PRINCIPEM* ad ſumma natum! Procul ab excelſis Herois diuini ſtudijs, vilium mentium turbæ, inanes caducarum rerum imagines! conuerſi ad ſolem oculi, nitidiſſima luce conſtanter gaudent; & intuitu clariore Diuinitatis, obiecta terrarum ſimulachra, intueri dedignantur. *PRINCIPI*, cœlum & Deus, mens Animuſq; eſt: cœlo ac Deo; *princeps* Amor. Nec ad ſuperos tantùm, ſed ad eorum euadit gloriam, & plauſus. At viā librantis ſe per àëra Aquilæ, nemo aſſequitur: Ominari tamē licet. Lacteam dici à mētis puritate; Auroræ, à candore animi; ſolis, à claritate; Lunæ creſcentis, à perpetuis gloriæ incrementis. Ille es profecto, CAROLE SERENISSIME, qui terrarum, aſtrorumq;, conſentientia in laudes Tuas mereris ſuffragia. Animus tuus, diuinis curis deuotus, Mens, perpes cœleſtis beatitudinis contemplatrix, ſublimem Te, cœloq; affinem Aquilam, abundè probant. A Deo, principium, rectè glorioſèq; factorum. Qui cœlorum iudicio contempto, hominibus probari cupiunt, id vnum agunt: vt nihil rectè agant. Quantum itaq; ſpei, quantum cum ſpe lætitiæ, in ſubditos, Tuo ſacro imperio, venit! Erige fortunata Plocia frontem! ſub tali PRINCIPE ac ANTISTITE, non eſſe felix, non potes.

tes. Nullum certius fortunæ melioris, Ciuitates accipiunt pignus; quàm Carum ſuperis principem. Tu pariter, ô digniſſime ſacrorum Plocenſium Præſulum cætus, luce illuſtriore accende; & Aquilam, cœlo delapſam, intra Te conſpicatus, tuam Tibi gratulare fortunam. Candida eſt, candidum tibi fauorem ſpondet. Expandit alas; vires & præſidium, tuæ tutelæ offert. Num unquam glorioſius, tui Antiſtitis, refulgeat ſplendor, quàm Principis ſerenitate auctus? Regalibus nata ſceptris dextera, ſacris quoq; tractandis commodiſſima. Non ſentit, hæc onus, nec illa, ſentiunt periculum. Quod ſi, fulmen PRINCEPS ab Aquila ſumat, cadet, quiſquis cœlo inimicus. Fatale improbis, Aquilæ auſpicium. Cauete rabioſi Gigantes, nec aſtra Plocenſia laceſſite. Excubat Vigil Aquila. Ab altiſſima ſerenitatis luce proſpectat, nullum audaciæ inuentum deliteſcet. Quanquam, cùr bonas aues, ſoli Plociæ precer? Publicus Lechiæ, colatur excubitor Ales, Lechico Polo ortus, Lechicis terris fortunatus. Nulli magis auſpicatæ aues, tuæ, quàm Polonis. Harum auſpicijs, tot ſæculis fortunati ſumus, quot à Lecho numeramus. Fecundiſſima tamẽ bonorũ tẽpora, à SIGISMVNDI III. imperio, extitêre, cum ſolio eius, hæc Ales, inſedit. Surgite animi! in tuto eſt cõmunis ſalꝰ. Iiſdẽ auibꝰ, res in hoſtico, domiquè geritur, in caſtris VLADISLAO Rege;

In Senatu VLADISLAO Rege, & CAROLO Principe, ac Præſule, commoda publica, procurante. O bonæ aues! O, candidæ fortunæ munus! o Regni Poloni perennandi, proſperæ auſpices! Tibi VLADISLAE REX inuictiſſime, ſalutem noſtram conſeruatam debemus: Tibi, CAROLE PRINCEPS ſereniſſime, ſalutis eius tutelam cõmiſſam, publicæ rei, gratulamur. Licet iam Polonis, contra Romanos gloriari. POLONVM SENATVM, REGIBVS Conſtare: quod, Cynæas olim, Romæ vidit, & inuidit. I PRINCEPS Sereniſſimæ, bonis auibus, ac tuis. Tuam tecum fers fortunam. Romanæ olim dici voluêre, nunc gaudent IAGIELLONIACÆ, AVSTRIACÆQVE, ac inde, VLADISLAVIANÆ, CAROLIANÆQue nuncupari. Omnium Aruſpicum, atq; ætatum conſenſu, oblatæ proſperitatis ſignum, Aquila fuit: nunc, Dei quoq;, tuo ſacro pectori inhabitantis approbatione, Aquila; PVBLICÆ *FORTVNAE AVSPICATISSIMVM* OMEN gerit.

EQVES LITHVANVS

Per ſtadium gloriæ,

SERENISSIMI PRINCIPIS decurrens.

MAgnis quidem ſemper paſſibus, ad gloriam itur: in Principis tamen noſtri, ſummis laudibus, aut volatur, aut curritur. Vidiſti Aquilam, inter altiſſima ſiderum ſpatia, patentibus laté, gloriæ alis, ſeſe librantem: intuere Equitem, ſoluto curſu, per ampliſſimos gloriæ campos, effuſum. Orbis totus, campus eſt: nulliſq; libertas famæ, arctatur limitibus. Pegaſum ſi dixeris, id adijce. Non vnius Meduſæ cæde prognatum, ſed innumerorum cruore, barbarorum. Sanguine hoſtium alitur, tot ſæculorum indefeſſus bellator. Nunquam, à curſu gloriæ ſubſtitit; uerum æternis ſemel ſuſceptis armis, orbem victoriis, Victorias, triumphis implet. In Parnaſſum delatus, fontem calce excuſſit, limpidiſſimis immortalibuſq; laudum venis, profluentem: quem cum Apollo delibaſſet, Heroum factis, lyram animauit, non parnaſſo tantùm, verùm ultimis Thule finibus, auditam, amatam. Gaudet continuo geſtare Equitem, qui expoſus otia, inter ipſam, altiſſimæ pacis quietem, ſtrictum mucronem gerit, ne incluſum vaginæ, iners deſidiæ, corrodat ærugo. Vigilandum pro patria, cùm hoſtes contra patriam vigilant. Vicina nimis perfidia, excubantem fidem exigit: inuenitq; ſemper armatam. Raró tamen, imbellis hoſtium animus, frontem petit: latera, ac tergum, cum ſæpius petijſſent, vulneribus, quæ armato inſe-

inferebant, conciderunt. Nec fuga, ſaluti pro-fuiſſet, niſi freni patiens, illa ſolùm bella ſuſciperet, in quibus, prius cauſæ æquitate, iuſtus bellator triumpharet; quàm armorum, iuſtus victor, ſuperaret fortitudine. Hinc, ſcutum quoquè ſuſcepit, non læſurus; niſi, cum non ſe tegendo, ſed alios lædendo, iniurias propulſare, cogeretur. Indiuiduus Aquilæ Polonæ Comes, diuturnis contra eandem bellis, inuiolabili fœdere ſublatis, nunc pro illa, vel cum illa ſimul pugnat. Credimus demum Romanis, devotum publicæ incolumitati Curtij Equitis caput, deprædicantibus; cum domi ſpectare licet, quam apud exteros, alij quærùnt virtutem. Hac ſpecie, conſpicuus Gediminus, triumphator viſus. Hac Moſchouiticis formidandus imperijs, Olgerdus. Hac, Crucigerorum, Aſiaticorumq; debellator Vitoldus. Hac, orbis perenne decus, hoſtium terror, ſæculorum ſuorum prodigium, Tuus Maximo, CAROLE Princeps, ſãguis, VLADISLAVS Iagiello. Parcite ſacri Heroum Manes. Nec ſatis laudari, nec taceri poteſtis, inter Principis CAROLI encomia; illa tamen encomia, quæ meritis comparata, longè inferiora reperiuntur. Quantumcunq;, hic aſſurgat oratio, iacet; infelix ſuo caſu, felix Principis Optimi beneficio: quod per terram, ad venerationem, benevolè ſuſcepta, adrepat. Orbis Lechicus, Orator tuus eſt; CAROLE Principum

Optime. Omnium conſenſu laudaris, omnium laudes, vnus meritus. Vidimus, frequentiſſimas, ad Tui prætereuntis mentionem, laribus deſertis, in plateas, effundi turbas; vidimus, oculos menteſq́;, grauiſſima virtutum tuarum voluptate, rapi. Immò nominare CAROLVM, religio eſt; quin Optimum, digniſſimum, Glorioſiſſimum, Celſiſſimumq́; principem dicas. Abeat, oſtentatrix ſui vetuſtas, lauſdeſq́;, populi pretio, aut terrore paratas, coram iis memoret; quos verioris gloriæ ſenſus non delectat. Viliſſima laus, quæ uenalis; ſcelerata, quæ violenter expreſſa. Mercimonia panegyrum forenſia, intra vulgi manus intereunt: tormenta autem famæ, diutius ſentiuntur; ad authoris ignominiam. Illa laus germana; quæ virtute pronata, eam, quaquauerſus comitatur, ſpectatorum non inuitis turmis, applaudentibus. Hanc Tu, vniuerſis neceſſitatem Princeps imponis, quoties animis obuerſaris; glorioſius, quam auro, aut argento expreſſus. Non momentis, nec horis, ſed virtutibus, vita Tua conſtat: annorum ſpatia meritis exples, & tempus, quod alienum cenſetur, Tuum facis. Fixiſti perennaturas gloriæ columnas, quibus, poſteritas *CAROLIANVM PLVS VLTRA* inſculpat. At nos, Herculeos tollimus obices, nulliſq́;, virtus Tua, arctatur terminis. Animaris progreſſu, non fatigaris. Culmina quoq́; Virtu-

tum, Heroico impetu tranſilis. Perge generoſe Eques. Sit tui curſus Campus, Orbis: Principi, orbis anguſtiæ, non ſufficiunt. Scaturiant, excuſſi pede Tuo, laudum riui; ad Principis contactum, plenis, ingentes fluuij, prorumpunt oſtijs. nec Parnaſſea commendatione, aut Apollineo applauſu opus eſt. Suauiùs occinunt virtutes, quàm lyræ. Non inuidendum, Orphei ingenio, aſſentatrix fabula, tribuit encomium, ad eius cantum marmora, Saxaq́; excitata: plus eſt, aures animoſq́; hominum, laudibus Principis, attonitos detineri. Neq́; rupes, vrbibus condendis commodas, conſtitiſſe, tàm glorioſum eſt; quàm, nullos terrarum receſſus, Principis noſtri laudibus non patuiſſe. Nos, præſentiâ, alios, recordatione Tui beatos reddis, CAROLE Sereniſſime; omnium autem vota, admiranda, Heroicorum factorum dignitate, ſuperas.

SCIRPVS REGIVS,

Faſciâ Auſtriacâ reuinctus; Auguſta vtriuſque Domus decora

IN

SERENISSIMO CAROLO Coniungit.

Vtinam, tantùm mihi dicenti. quantùm Tibi gerenti maxima, robur ſuppeteret,

CAROLE Sereniſſime: periclitantem, ſub ingenti rerum mole eloquentiam, onus non premeret, Sæculorum decora, ſimul recenſenda, ſeſe offerunt. Præſidium deficientis Orationis, vnum eſt. quod referri nequit, digito in te monſtrari poſſe. Quid enim SCIRPVS Tuus regalis, quid Faſcia nobiliſſimum SCIRPI vinculum, felicitatis publicæ æternus nexus? Nodus hic, Alexandri ferro, non eget. Eſt qui ſoluat, Maximus Regum VLADISLAVS, & tanti Frater Regis, CAROLVS. Hinc Sereniſſimus Regalis fortunæ manipulus; inde Auſtriaca ſanctitas, gloria, Deiq; ſocia in terris, Imperialis dignitas, ad venerationem proponitur. Pendimus libentes, honoris tributum, nulli unquam iuſtius pendendum. Quidquid, latè per Europam, orbis adorat; in VLADISLAO Rege, & CAROLO Principe colitur. Regibus noſter conſtat manipulus, opulentior Mithridatico, quamuis hic iunceus, Aureus ille. Aurum, à Regibus pretium accipit, non ab Auro reges. Sæculorum fidem! quam innumeri, non Heroes tantum, verum ſummi Reges, in hunc manipulum Conuenerint. Vltra dena ſæcula, Regale per Sueciam, Daniam, Norvegiam, ſolium, ſublimis obtinuit. Quoniam inſuper, quæ præſentia cernimus, æterna ſunt; ante præſcripta, nunc firmata, Diuino conſilio; tum primum, arcanis, ad maxima imperia, Regalis

galis SCIRPVS deſtinabatur ſignis; Cum Romanis aſſurgeret auſpicijs. Annalium documentá tradunt, Romulum, parentem vrbis Romanæ, faſciculos pro inſignibus Imperialibus geſtaſſe, & ne pretioſos exiſtimaremus, fæno aſſerunt Collectos. Boni cœlites, quanta vobis Polonarũ rerũ cura! quibꝰ præter Aquilas, Manipulos, Romanorum æmulos infertis. Secretiore omnino, Diuorum factum conſilio, ut inter fatiſcentium imperiorum ruinas, inter obrutum bellis orbem; nullum tam fatale tempus incideret: quo, ſerenitas SCIRPVM Coronans, tenebris premeretur. Nominum mutatione, viciſſitudo fortunæ, conſtitit: dignitatis hæreditas, integra durauit. Illigauit quoq; manipulo Faſcia Auſtriaca, Hiſpaniarum, Galliarum, Italiarum, Angliarum, totiuſq; Orbis Imperialia decora. Quod ſol in cœlis, Auſtriaca domus in terris eſt. Lucet, ſublimior orbe. Meridie, clariſſimæ ſplendet, Septemtrionem ſerenat, accendit Occidentem, Orientem fulgore perſtringit. Nihil eſt, Cur Oriens ſuperbiat, ſplendidius ſol lucet meridianus. Occaſum inſuper extimeſcat, Auſtriaco ſole aſſurgente, in occidente. Quid hic maritimus quoq; turbo audeat? Nubes Cœlum tegunt, non perdunt ſolem. Gratior, per procellas äeris, exurgit ſerenitas, & Magnificentius, lux victrix, tempeſtatibus inſultat. Nec diuturnus turbo, qui ſubitus

bitus

bitus. Magis furit, ut ferocius intereat. Solem coelo, Auſtriacum Imperium terris, nulla humana tollat manus. Deo ab Auſtriacis pugnatur, Deo regnatur. Imperium coelitus ortum, iiſdem perſtat conſervandum artibus, quibus partum. At non ſolam, Princeps Sereniſſime, Faſcia, Scirpo Tuo, adſtrinxit cognati imperij gloriam. Idem nodus, Auſtriaco ſanguini, Auſtriacarumq; virtutum vinculo, arcana te copulauit arte. Vobis enim, o cara Deo pectora, *AVSTRIACI PRINCIPES*! naſcituris infundit numen, quæ alijs tardè ac parcè confert, munera. Par rebus difficillimis vincendis, in ſuperos fiducia, diuinus in Deum ſub panis ſpecie latentem, ardor, ſumma in cultum Dei Matris Virginis, animi propenſio, & innaſcuntur vobis, & Vobiſcum adoleſcunt. Vt itaq; interdum, vices humanas, Princeps homo ſentias; Divina vi animi Tui, facilius illas vincis, quàm alij audent. Graviſſimum Principibus aduerſantis fortunæ luctamen, Tuæ fortitudinis experimentum, & materies eſt. Tota nuper Polonia, ingenti calamitate, ab obitu Sereniſſimæ Reginæ CÆCILIÆ RENATÆ Auſtriacæ, concuſſa intremuit. Tu mortales eius vmbras ita proſecutus; ut pietati affectum liberalem impenderes: ſervaſti inconcuſſum diuiniſq; conſentientem, ſtatutis, animum. Vilium quippe animarum ignauia, cogitationes tumulo affigit;

fugit; ſublimiores mentes, animum cœlos petentem comitantur; vt ſpem inde attrahant, quam inter homines non inueniunt. Sanctioris autem illud encomij argumentum, crebra atq; in oculis totius populi vſitata, ſacroſancti Eucharistiæ conuiuij, frequentatio. Nuſquam magis Auſtriacus, quam hic conſpiceris; cum eodem obſequio cœlos, quo Tui maiores terrarum ſceptra; mereris. Is mihi vere *PRINCEPS*, qui non dignitate modo præeſt, ſed prodeſt exemplo. Glorioſius ad Aras triumphat Principum pietas, quam in capitolijs maieſtas. Auguſtior comitatus, qui diuinior. Starem hic, & diuinos Tuos vultus, diuinumq; pectus, quia Deo plenum, diutius contemplatus hærerem: verum cogitare de Te nihil poſſumus, quin maiora protinus ſe obiiciant. Suſcepto igitur, Auguſto, quo Deus præſens velatur pane, purpuram tuam, prona per terram veneratione, ſternis; vt maximum illum hoſpitem, Principemq; Tuum, omnes intelligant, cui principum purpura calcanda obiicitur. Audi princeps quæ mereris! cœleſtem imperatorem, tanta demiſſione colis? cœlorum mores exprimis, cœlis Te dignum Principem vniuerſis probas. Detrahe, Deo ſubſternendam purpuram; ſemper tamen natiuâ animi purpurâ rubebis. Hoc apparatu glorioſus cœlorum quoq; Reginæ, obſequia impendis. Patent eius Tibi penetralia; quæ

ſæpiſ-

ſæpiſſime in dies adis; patent benignæ aures, quibus Te, dignus tanta Imperatrice, commendat cultus. Et hæc ego ſuſpicio, non eloquor. Voces quas audis, paucæ; quia admirantis ſunt. Prodigio non diſſimile ſpectaculum, tot Heroum Regumq; decora, vnius capacitate dignitatis contineri. Ingens in Te ſuperum liberalitas, tot ſacratioribus cœli muneribus, vnum ditare. Eſt ſua cœlis tenacitas, nemini tamen iuſtè accuſanda. Alijs claritas illuſtris generis, imperia alijs; ſucceſſus quoq; felices, imperiorum fulcra; paucioribus Virtutum integritas donatur: Tibi ſimul hic cumulus bonorum aduenit, vt quantò propius dignitatis ſãctitatiſq; ſimilitudine ad Deum accedis; tantò maiori non ſolùm generis, verùm etiam virtutum ſplendore SERENISSIMVS conſpiciaris.

LEONES
SERENISSIMI PRINCIPIS, Magnanimi, Vigilantiæ eiuſdem PRÆSVLEÆ, Miniſtri.

BEnè res Polona habet! Fidiſſimus ſacrorum cuſtos, pro aris, excubat Leo. In promptu vires, & vigiles excubiæ. Laruis Leo non ter-

terretur, nec dormit unquam totus. Abite imbelles animæ, nihil vis, nihil dolus proderit. Secura, CAROLO Principe, Religionis integritas eſt, nec ſecura ſolùm, ſed triumphat. Fuerit hæc, ſingularis felicitatis, aut pietatis, collatæ Principi prouinciæ prærogatiua, nullas unquam alienas religiones admiſiſſe, CAROLO ANTISTITI, Conſeruata, auctaq; eius dignitas, plurimum debebit. Vigilantiſſimus Præſul, curarum, quàm quietis amantior, odit otium, quod ſollicitudinem rerum diuinarum eripit. Promptior oneri ingerit, quàm porrexit honori, humeros; it obuiam periculis, tantoq; ſtudio rem agit, vt ſi diuina ſuſcepiſſe negotia ignoraretur, propoſiti proderet contentio. Maiorem ſe cæteris non arbitratur, quin exhibeat meliorem. Faſtigium, ex quo deſpiciuntur homines, non hominum proſpiciuntur neceſſitates; ludibrium fortunæ, non culmen dignitatis iudicat. Vicaria Dei poteſtate imperat, ſapientiâ gubernat, ſacram prouinciam; cauſarum, non perſonarum, æquus arbiter. Potentiam æquitati ſubiecit; quod magna poteſtas, æquitate ſublata, fulmen pernitioſum ſit. Nemo tamen ſceleratus, impunè, laceſſat Leonem. Humanas cum ferat, diuinas ulciſcitur iniurias; acer ſcelerum, contra quæ, Deus decreuit, vindex. Cœlorum moribus deditus, eorum legibus ipſe viuit, alios regit. Nouit crudelem, ſ-

ſe clementiam, quâ hominibus parcitur, ut in Deum impunè peccetur; ſæpiuſq; redeat, quod ſemel, indulgentiam ſperare didicit, ſcelus. Vulnus quod attactu ſanatur, palpandum: quod ſanari nequit, reſecandum. Vigilantis quoq; eſt, nihil quod ad publicæ vtilitatis emolumentum confert, incognitum omittere: rimari, circumſpicere, omnibus quæ aguntur intereſſe. Hæc tam præſenti numine obit officia, ut præſentem adeſſe credas Odit improbos quorundam oculos, longaſq; illas aures, quæ ſenſu, omnia corrupunt. Suo res illi conſtant valore, non æſtimatione aliorum. Æternum aſſentatoribus ab aula indixit exilium, quod ingenio, plurimum valeat ſimulatio; & perquàm difficilè à ueris amicitiæ conſilijs diſcernatur.. Ille benè adulationes excludit animo, qui non ſolum excludit auribus, ſed foribus. Patente ianua, patebunt facile aures, inde mentes. Num deniq; non Leonini illi, verè ignei, verè vigiles oculi: digniſſimi, Sacrorum Magiſtratuum, ab ANTISTITE ſapientiſſimo, inſtituti adminiſtratores? Eruditorum præceptis conſtat, tot, Principibus, Præſulibuſq; eſſe aures, tot oculos, quot ſint, qui alios gubernaturi deſtinantur. Vigilant itaq; hi quoq; pro Principe, ſed cum Principe; maximâ id imprimis ſolertiâ procurante, ne ad ſacros honores, indigni admoueantur. Cauſa tota, virtutis ſuffragijs decernitur.

Ille

Ille officio dignior, qui ſcientiarum gloriâ ex-cultus, ſtudio, ſalutis animorum procurandæ, cæteris antecellit. Quemadmodum enim non proceræ vaſtæq́; arbores, ſingulari cultu coluntur, verùm fructuoſæ: ita in honoribus conferendis, ſpes certior, percipiendorum commodorum ſpectatur, collatiſq́; dignitatum auxilijs, promouetur ad maturitatem. Clarum, clarum eſt, quanto in pretio, â Te habeatur virtus, *PRINCEPS SERENISSIME*, quam tantopere in alijs æſtimas; vt beneficijs Tuis, & quod maximum beneficium habetur, iudicio præmies. Addis etiam alijs, merendi animos, dum alijs, meritorum præmia reddis. Experimento diſcunt, virtutem, cuius Tu arbiter ſis, ſine præmio non abire; & ſpes ſuas, non animo tantùm, ſed oculis tractant. Illi deniq́;, quos paribus gradibus, Velocior ad alta prouexit virtus, iterum ſuos honores in æmulis reſumere, iterum à Te præmiari videntur; nouâq́; rurſum perfruuntur voluptate. Nulli bono, ſoli contingit honor. Quod ſi magna hæc laus, magnorum Principum habita, dignos, prouincijs, bellis, iuribus humanis præficere, tantò id à Te laudabilius præſtari, eſt neceſſe, quantò altiùs, diuina humanis eminent. Grauior, à ſacro capite, morbus venit. Non ſiſtit labes in corporibus, animos lue enecat. Immortalia beneficia tua ſunt, immortalibus inſerta animis. Illa tamen au-

ſturus, id curas; vt non modo illi, beneficentiæ tuæ fructus percipiant, qui munificentiæ meritum æſtimant: verùm ad eos quoq; quos rudioris naturæ ſeueritas, ſine cultu proiectos, deſeruit, perueniant. Sanxiſti ſacro diplomate, vt quorum curæ, animorum comiſſum regimen; ſacros domini dies, erudiendæ primis orthodoxæ doctrinæ præceptis, plebi, impenderent; contumaces, fulmine ſacro anathematis perculſiſti. Hæc Tu ſcilicet feſta, hilariſſimè colis, quæ cœlo feſtiua. Illos, dies veros dicis, quibus, ſervitus Vitiorum, & barbaries ignorantiæ, depellitur. Dignum ſanè clariſſima meridie [quam operi deſtinaſti] opus, dignum quod vniuerſi ad imitationem ſuſpiciant! Nemo tamen credat lucenti ſoli. Cadet, inter ipſos radios, fulmen. Faciunt hoc ſuperi, cum ſcelerum contumacia, moram non patitur. Non lædit clementiam, iuſta ſeueritas; imò, magna hæc Tua clementia eſt, paucos terrere, vniuerſis prodeſſe. Exclamare igitur iterum licet. Benè res polona habet! excubat uigil, pro aris Leo.

CORONÆ TRES AVREÆ

SERENISSIMI PRINCIPIS,

Virtutum omnium perfectam dignitatem, Aureamquè Munificentiam, Exornant

HActenus loqui de Te aliqua auſus, poſteaquam coronatam *MAIESTATIS SERENISSIMÆ* Virtutem, oculis attigi, dignitatem tantæ adoraturus gloriæ, procido. Grata neceſſitas, gratæ iniunxit obſequium venerationis. Magna virtus, quæ coronas meretur, maxima quæ coronatur. Malè conuenit, exiguæ fronti, auguſtum diadema; nec honorat, ſed onerat. Hinc, diadematum veneranda dignitate, capita, poteſtate alijs non præcellunt; quin eoſdem ſuperent, heroicorum facinorum commendatione. Vertex coronatus, honoratæ virtutis ſpecimen eſt. A te præterea, *PRINCEPS SERENISSIME*, ea dignitate ſuperantur alij, quâ ipſi cæteros vincunt. Virtutem, ter cæteris ſublimiorem, ter digniorem, ter in Te coronatam ſuſpicimus. Sacer hic numerus, & à Maieſtate diuinâ, ter venerandâ, ductus; nulli congruentius addicitur, quàm tuæ colendæ dignitati. Vt enim illa, multum trahat à terris, plus á cœlis accipit: à quibus, principatus veniunt. Nemo autem miretur, toties ſermonem per tuas laudes in cœlorum mentionem incurrere. Sermonis inopiam vt accuſet, felicitatem materiæ, per confines ſuperis laudes, ſtylum ducentem, admirari debet. Ingenij Tui, glorioſá fertilitas, nouis ſemper paſſibus ad gloriam contendit; hunc tamen laudabili conſtan-

cia retinet gradum; quo, cœleſtium morum premuntur veſtigia. Ambiuêre ſæpius, hoc encomium immeriti; Tu meritus, effugeres; niſi fugientem, propenſior ſequeretur honor. Coronaris igitur non manibus, non metalli pretio, at virtute, meritis, & aureâ Tuâ munificentiâ. Aureâ, inquam. Quo enim nomine ueriore pretioſam Tuam appellem munificentiam, egentium inopiam, oppreſſorum fato vel iniuriâ acerbitatem, orphanorum ſolitudinem, redimentem? Magno Tibi conſtant miſerorum lachrymæ, auroq; ſoluuntur. Nec, ſingularibus tantum, neceſſitatibus ſubuenis: ingentia contubernia, beneficijs tuis comples, magis ipſis, quàm incolis ſuis habitata. Xenodochia, cæteraque receptacula egeſtatis, ſi appellem, inter voces reſpondentium non exaudiar. Ad felix *CAROLI PRINCIPIS* Nomen, gementium ſuſpicia lætiori recepto genio, *CAROLO*, digniſſima encomia, immortales gratias, benigniſſimum Numen, apprecabuntur. Reſpicient ſacræ quoq; diuerſorum cætuum familiæ, ad vſitatam liberaliſſimi Principis inuocationem, & paribus effuſi ſtudijs, vnum querentur, ſe laudibus *CAROLIANIS* impares. Aræ diuinis colendæ titulis, templa, Dei inter mortales habitantis, ſanctiora palatia, non literarum teſtimonijs expreſſa, tuæ munificentiæ munera, ſed ea, quæ conſtant mole, oſtentant. Plurimum

tamen

tamen debere ſe Tibi fatetur Societas IESV, amplioribus Tuis, frequentioribuſq́;, obſtricta beneficijs. Conuerte tantiſper animum, nunquam quidem alienum, at auguſtioribus immerſum curis, ad domum Profeſſam Varſavienſem. Intuere Tuam illam Pultouiam, Plociam, aliaq́ue Sociorum habitacula. Ad glorioſiſſimum Te ſpectaculum inuito, Tuorum ſcilicet monumenta beneficiorum. Quod ſi (quæ modeſtia animi Tui eſt) ea intueri recuſas, ne conſpectu gloriæ tuæ vulnereris: aſpice pectora ſociorum, Tibi maximo munificentiſſimoq́; mæcenati, cælis notiore, quàm mortalibus affectu, deuota. Quanquam, hæc pariter, monumenta beneficentiæ Tuæ ſunt, nec oculos flectere potes, quin in Te incidas. An etiam, quamuis violenter orationem premam, ab admiratione munificentiæ Tuæ, Domui Profeſſæ Vilnenſi impenſæ, illa retrahatur? Tot, ex huius beneficij mentione, dicenda occurrunt, vt benignitatem Tuam, quam laudo, implorare compellar. Adde hoc, *PRINCEPS SERENISSIME*, beneficijs beneficium, vt nunquam ſatis de Te dicturo, facultate ſubuenias dicendi. Eſt, eſt crede nobis animus, ad pares Tibi pendendas gratias. Ingrati eſſe nolumus, grati tamen eſſe, niſi gratos eos æſtimes, qui grati eſſe cupiunt, non poſſumus. Hanc igitur Societatis domum, Regiâ munificentiâ Sereniſſimi *SI-*

 GIS-

GISMVNDI III. & Sereniſſimæ *CONSTAN-TIÆ*, Regum parentum tuorum, erectam exornatamq́; ; tot inſuper Cumulaſti beneficijs, vt beneficentiam ad culmen perduceres; eiq́; manũ impoſiturus, FVNDATOR eius Sereniſſimus haberi patereris. Audiant cæteri, ſummæ liberalitatis ac pietatis nomen; nos veneramur, firmaq́; poſterorum colemus recordatione: cuius æterna fixiſti fundamenta, cum ſocios fundares. Stabit, ſacris domus veneranda incolis: & memoriâ Tui. Habitabitur, æternis perennanda ciuibus, & laudibus Tuis. Succedent poſteri maioribꝰ, Tu vtriſq́; intereris; carus pariter ac memorãdus. Non ſola tamẽ hoc in opere, ſpectabitur beneficentia; ſequetur comes pietas, aut Dux præcedet. Vno beneficio, mortales ac ſuperos obligas: cum vtrorumq́; cauſam ſimul coniungis. Scis diuturniora illa eſſe monumenta, quæ adiuncto cœlitum præſidio cuſtodiuntur. Quod autem eam potiſſimum ædem, Tuis beneficijs amplies, quæ Diui *CASIMIRI* Principis titulo inſignitur, nemo hic genium Tuum, *CŒLESTI* illi *PRINCIPI* Comparem, & conſanguineum, non aduertit: Rapiuntur ſimilitudine morum, affectus; neq́; ulla vis magis in animos valet, virtutum concordiâ. Amorem, cultus ſequitur; quemadmodum contemptum, odium. Salit quoq́; ſanguis Tuus in venis, *CASIMIRI*; illum colis,

col-

collatis eius ſacri honoris cultoribus experſis beneficis: atq; ſimul, ad ſimilitudinem *BEATI PRINCIPIS*, Tuarumq; virtutum contemplandam, animum noſtrum reuocas. Deditam cœleſtibus curis, eius mentem, paribus ſtudijs; glorioſum caducarum rerum contemptum, diuinarum rerum amore; Vigilem circa ſe curam, ſolertibus animi præſidijs, exprimis: non magis proximus ſanguinis, quàm virtutum cognatione. Quidquid agis, virtus eſt; quidquid dicis, virtutis materies, aut gloria. Aulam Tuam, quicunq; inſpexit, virtutis prædicauit gymnaſium. Exulat, communis magnarum ædium peſtis, licentia: & id ſolum licet, quod Deo libet. Improba quoq; non tam nũmorum, quam animorum diſpendia, prodigalitatem conuiuiorum comitantia, arces. Nihil quod ad magnificentiam boni Principis ſpectat, deeſſe pateris: nihil quod bono vitandum Principi, toleras. Lex optima, benè viuendi, optimus Princeps. Hanc qui tecũ verſantur ſuſpiciunt, hanc obſeruant. Certatur tantò alacriùs contentione virtutum, quantò certiùs intelligitur, nullius Tibi obſequia, niſi ſuffragante probari virtute. Abſit verbo inuidia. Sanctior aulæ diſciplina, quàm Tuæ, rarò Principibus contigit. Nemo igitur *CAROLIANVS* cenſetur, niſi qui, temporum ſublatis impedimentis, *CASIMIRIANVS*, dici potuiſſet. Hoc virtutis a-

uitæ ſacrum nomen, quandoquidem Tibi adeò carum eſt, gaudere nos quoq; oportet, eodem Tibi nomine gratos, vt qui vulgò, à Diuo, tutelari, *CASIMIRIANI* nuncupemur. O Te eximium principum *PRINCEPS* ſpeculum. Hinc enim, diuum Iagiellonem, virtutum imitatione reddis: inde Sereniſſimum SIGISMVNDVM Parentem Tuum, & Fratrem VLADISLAVM; Regum ac ſæculorum decora. Viuis imitator Diui ſanguinis: promoueſq; eius cultum, æmulator Sigiſmundi, & Vladislai Regum. O! quantis nunc, mens beata SIGISMVNDI Regum optimi, perfruitur gaudijs, cum à ſublimi ſiderum ſolio, terras proſpectat; & tantis in filio, ſerenitatem ſuam, per Poloniam, ac orbem vniuerſum, gloriæ, virtutis, pietatis radijs, refulgentem, intuetur. O lucem admirabilem! O miram animorum conſentientium gloriam! Addant, ad Tuam SERENISSIME CAROLE, tot tempora ſuperi vitam, quot digniſſimo ademerunt Parenti: immò quot nobis vota eripuerunt. Nos, quotquot & quamdiu, victuri ſumus, Tuæ gloriæ viuemus.

PANE-

PANEGYRICVS

In laudem Sereniſſimi Principis Poloniarum, Sigiſmundi CASIMIRI, VLADISLAI IV Regis, Filij Sub titulo, ARA TRIPLEX SPEI PVBLICÆ, Auguſtæ, Sacræ, Fortunatæ. Vilnæ 1643. *Nomine Academici.*

ARA, SPEI AVGVSTÆ.

Inſcriptio

Gloria Parentum, Hæreditas Filiorum.

THESIS.

TAntum equidem, eſt naturæ, in ſui propagatione ſtudium, ac tam Felix, in ſucceſſu ingenium, ut parens rerum, an artifex mirabilior, ſit aſſerenda, conſtare non facile poſſit. Illa nimirum, tot non annis, at ſæculis; domum hanc magnam orbis, innumera rerum varietate complet, illa, vna in omnibus, omnia conſeruat, multa diſtinguit, ſingula, ad ſuæ originis deducit ſimilitudinem. Experiri videtur, an immortalis eſſe poſſit? & quaſi poſſit, mortalitatis damna ſucceſſione reſtaurat: immo,

mò, mortalitatem ipſam, immortalem facit, cum in alijs præcipitem, in alijs excitat. Conſtans eſt, & perennis in orbe mutatio, ac mundꝰ ipſe, vix mũdꝰ eſt; certè, mũdꝰ alter, quã fuit, eſt: inter tot nihilominus iniurias, sẽſus damni ad mortales non peruenit, quia prouida commodorum noſtrorum parens, quicquid humana fata rapuerint, protinus ſubſtituit. Agite mortales! tam benefico muneri, gratas preces, gratiasq; litate. Iniquum eſt, non agnoſcere beneficium; agnitum autem, grato animi cultu non proſequi, criminoſum. Quotquot vrbes, Reſpublicæ, prouinciæ, regna, imperia, vigent; naturæ, reſtauratrici orbis, & humani generis obligantur. Quantùm verò, tu debes, Polonia? cũ Sereniſſimũ Principẽ Sigiſmũdũ, Auguſtiſſimam Sereniſſimorum Vladislai IV. & Cæciliæ Renatæ, Poloniæ Regum, ſobolem, tuis maximis commodis inſtaurandis, augendiſq;, creſcentem vides? Quantum Vilna? cum felicitatem hanc Regni maximam, non iam, a longè contemplaris, ſed eius contactu, aſpectum oblectas, & ſuauiſſima perfrueris dulcedine. An quæ audita, triumphalia gaudia toties concitarunt, conceſſa applauſus & lætitiam non dabunt? Languidius ad animum accedunt, quæ aurium via manant, quàm quæ oculjs hauriuntur. Gratulare igitur tuæ, gratulare Reipublicæ felicitati, pubeſcentia publica commoda,

atq;

atq;, vt quantùm gratulari debeas, ſcias; quãtum ſperare debeas, intellige. Accede verò inprimis, ad *ARAM, SPEI AVGVSTÆ*, ac, non vana ſpei tuæ auguria, ex orbis conſentientis autoritate, cognoſce. Et ego quidem, vix animum Academiæ voce, in tuas laudes, Princeps Sereniſſime prorumpentem, continerem: ſed vt maiori apparatu, triumphum felicitatis tuæ agam, proceres ex omni antiquitate aduocaui, qui Te ad ſpes noſtras deducerent. Præfero his Numinis Opt. Max. edictum.

a. In Filijs ſuis agnoſcetur vir. Nimirum, quorum vitâ viuimus, eorum virtutes, in moribus, tanquam in tabella imaginem pingimus: vt in lineamentis Filiorum, virtus emineat Parentũ. *b: Scilicet, eſt olim, vis rerum in ſemine certa, Et referunt animos, ſingula quæq; Patrum.* Filius imago Patris eſt. Hinc, eloquentiſſimus Conſtantini magni orator, de Filijs coram Parente loquens: *c. Iam,* inquit, *etiam ductæ lineæ, quibus virtutum tuarum effigies poſſet includi. d. Rapitur ad ſimilitudinem ſuorum excellens quæq; natura.* &, vt roſæ, nõ colorẽ tantummodò, ſed etiam virtutem, à Parentibus trahunt: vt fructus, non vigorem tantùm, verùm ſaporem quoq;, ab arbore ſumit: vt aquæ, Ferreis, argenteis, aureis fontibus, conformantur, ita. *e. Omnis natura artificioſa eſt; & habet, quaſi vim quandam, ac ſectam, quam ſequatur.*

tur. f. Non poteris rectum, caneris induere greſſum. inquit Poeta. Tales omnes ſumus, quales ij, per quos ſumus. Applaudet, quicunq; rem perſpexerit, & à Iuriſperitis, Filium, *Perſonam, vocem, Corpus: g. Animum eſſe Patris audiuerit.* Verùm quam altius his Comicus: *Perſuade Tibi, Parentes eſſe Deos.* Quid ita? An quia coniuncta cum Deo manu. *h. Animam nobis, decerptam ex mente divina, & cum nulla alia re niſi cum Deo comparandam dederunt?* At quicquid hic interuenit, maius homine, & ſolius Dei eſt.

i. An dubium eſt, habitare Deum ſub pectore noſtro?

In cœlumq; redire animas, cœliſq; venire

A cœlis igitur & Deo animam, à Parentibus autem, Animum habemus: ſcilicet, vim illam & virtutem, quâ ad rerum ſtudia impellimur. Procul hinc ignauæ animæ, vilis turba, mãcipia popularia. Exẽpla à vobis non deriuabo, verùm digito oſtendam, ſequaces veſtrûm Parentum nepotes, per terram, totâ vitâ ſerpere, nec vnquam, aut nimis raro, humo aſſurgere. Magna hic ſolùm dicenda, imò ſumma, quia maxima auguror. Itaq;. *k, Credere debemus, magnos natales, tribuere maiores ad virtutes impetus,* & in *familijs Heroicis, vim naturæ, præſtantiorem eſſe. Habet enim nobilitas ſanguinis & generis, adiunctam plerumq; nobilitatem men-*

tis:

tis: eſtq́; magnus, ad virtutem ſtimulus, maiorum virtus, ne quis ab ea degeneret. Senſit idem, diligentiſſimus naturæ ſcrutator, l. & ab antiquitatis laude, ſœculorumq́; encomiſs nobiliſſimus, qui magnæ felicitati, Regis Spartani tribuit, quod illi mater fuerat, quæ Regis erat filia & vxor, quod nimirum ſanguis à tam nobili deſcendens origine, quantò plus nobilitatis, tantò plus virtutis veheret.

a. Eccl: 11. b. Marul: c. Nazar: d. Idem. e. Cicero 2. de nat: Deor: f. Ariſtip: g. Cœli: Rodig: lib: 11. h. Cicero i. Marullus. k. Francis Baldu 3 de Iure Per. l. Plinius in Nat.

APODOSIS Oratoria.

Metire iam anime vires tuas, &, num ſtudio tuo reſpondere, magis autem materiæ dignitatem æquare ſermone poſſis, delibera? Vt enim de Sigiſmundo Principe, dignè loquaris, de Vladislao Regum maximo priùs dicendum eſt, ac, tanti Regis & Parentis magnitudine, omina publica, de cariſſima eius ſobole, explenda. Audiuiſti Regis tui nomen, venerare maieſtatem; & proſtratâ ad pedes eloquentiâ, veniam ſermoni exora. Hic eſt Rex ille, in cuius laudibus, non hominis, ſed orbis; nec orbis tantùm Sarmatici, at vniuerſi, deſudauit

dauit eloquens eruditio: extortaq́;confeſſio oratorum, plus Vladislaum egiſſe, quàm illi, aut dicere, aut cogitare valerent. Et verò, ſi ex meritorum dignitate laudari deberet, non verbis, ſed factis oratio conſtaret: neq́; ſcriberetur, ſed fieret. Nam, ſi in præterita temporum ſpatia, cogitationes reijciã, occurrent protinus animo, ingentia bellorum tranſactorum monumenta, (ô quam difficile, verba rebus reſpondent! dicendum erat, prodigia) deuicti exercitus, occupatæ prouinciæ, triumphati hoſtes potentiſſimi, orbis deniq́;; quia eius victores, ante Vladislaum proſtratus. Coegiſſe ad pacem petendam Suecum, vidiſſe ſupplicem Turcam, duxiſſe ante currum, ſub lauro Moſchouiá, vix vnquam maximis bellatoribus contigit. Hæc verò, quæ in aliorum factis, inuſitata, tam ſingularia, tam admirabilia uiderentur: ſi quis in Regis noſtri encomijs enumeret, vulgaria declamare cenſetur. Non derogo quicquam Imperatoris tui virtutibus ô Nazari! verùm ſi id tibi fata conceſſiſſent, reperires nunc in Polonia, ante quem, cum omnium applauſu & ſummo Veritatis præconio, proclamares. *In tuis laudibus, id maximum non eſt, quod in orbe terrarum primarium eſt.* Quid amplius dicam? aut quibus aſſurgam verbis? Succedant orationis inopiæ, vota, & quãdoquidé, gloriæ tuæ amplitudinem, Rex Sereniſſime, tota eloquentiæ capaci-

pacitas complecti non poteſt: eâ, quàm fortunatiſſimè ac diutiſſimè perfruere, ipſe tibi par, & tuis laudibus ſufficiens. Tibi nimirum, hanc diuinitatis prærogatiuam conceſſam agnoſcimus, ſe ipſo frui poſſe, & apud ſe inuenire, quod orbis non habet. Non audeo, maximo humeros ponderi ſubijcere, & infinita à te bello geſta, non recenſeo: at rapit me dulce nomen pacis, & fructus ipſe ſuauiſſimus, quo Reſpublica vniuerſa, tua virtute, tuoq; beneficio abundè eſt donata. Pax.

Pax vna triumphis
Innumeris potior

Bella multi gerunt, pauci pacem merentur, cùm tamen omnium bellorum finis, pax publica ſanciatur. Profectò ſi præſentium rerum ſtatum, principum molitiones, orbis negotia expenderimus; non alio nomine congruentiore, orbem appellabimus; quàm ſi ingens & inexhauſtum bellorum dixerimus ſeminarium. Pro! quantum inter hæc tempora, quæ Poloniam pace gratiſſima oblectant, ſanguinis fuſum! quanta funera deplorata! quantæ vrbium & prouinciarum ruinæ iacuêre! Famoſum nomen, Cannæ perdiderunt, cum, in bellum orbis tractus, non iam camporum, ſed ſuis ſpatijs, exercitus capere, vix poteſt. Ingemuimus, Germaniam ſanguine inundaſſe, doluimus, Hiſpaniam, tam externorum, quàm ciuilium

tumultuum mole grauatam vidimus. Galliam, perditis clariſſimis ducibus exercitibuſq;, iuſtitium parantem. Quid Martis ſedem, Belgium, ſuis notiſſimum cladibus memorem? quid Luſitaniam armis indutam? Italiam furore bellico ardentem? Orientem deniq; ac occidentem, facibus armorum, ac animorum ſuccenſũ? Hoc ſolum prope deerat, ut ſuperi, & Poloni, bellis certarent. Dolendum, eheu dolendum! tantum ſanguinis effuſum Europei, quantum ſi in barbaros auertiſſemus, naufragium latrocinijs Aſiaticis, procul dubio intuliſſet. Neſcio, quis infelix Cadmus, ferrea ſemina per terras diſperſit, ea inquam ſemina, per quæ, ex ipſis cædibus ac mortibus, ferrei viri enaſcantur. Nec viciſſe ſufficit ad victoriam, nec victum eſſe, ad belli exitum. Supplet virium defectum furor; virorum, contumacia; armorum, improba non tam regnandi, quàm Regna perdendi, cupido. Audis hoc ô cariſſima Patria, an etiam ſpectas? an vero ad aures tuas, tantus armorum fremitus, tam miſerabilis orbis cadentis ploratus, tam infelix, præcipitatorum in ruinam Regnorum, cum occaſu tumultus, non peruenit? Tu ergo, illud es, fortunatiſſimum, vereq; beatiſſimum Regnum, quod tanta pericula, Vladislao auſpice, Vladislao parente, Vladislao, fortunæ tuæ præſide, non ſentis? te ergo mundi damna non tangunt? in tuo cœlo,

nulla

nulla prodigia exercituum, nulla ſpectacula præliorum, nulla fulmina diuinarum humanarumq; irarum, verſantur? Aut extra orbem, aut ſupra orbem conſiſtis, atq;, ſi non cœlum, pars quædam cœli altior, dici mereris. Quicquid tamen es, Vladislao debes. Neq; quiſquam verbo ſuccenſeat, quandoquidem doctiſſimorum virorum ſententiæ, Reſpublicas, cœlos quosdam eſſe, ex ingenij & veterum monumentis, docuerunt: Reges autem, & Principes, tanquam numina quædam, illis præeſſe, ad verſanda, & circumagenda Imperia: aut, tanquam ſoles, in ijs reſidere, ad illuſtranda, quæ infra regale ſolium iacent. cœli ſunt Reſpublicæ; verum illæ, quæ turbine bellico aguntur, quaſſantur motibus, vexantur tempeſtatibus, cœli quidam inferiores ſunt: Polonia verò, longæ pacis, & Vladislai Regis beneficio, intacta, placida, ſerena, cœlum quoddam cæteris eminentius eſt: nec quidem illis omnibus, regni maieſtate, ſed regnantis felicitate. Vere ſol in cœlo, Vladislaus in ſolio; omnia illuſtrat, omnia recreat, omnia fæcundat. Procul hinc, periculoſæ perfidiæ noctes, cœlum hoc, plenum ſole eſt. procul ignium fatalium furor, cœlum hoc, tumultuoſam ſiderum ſedem tranſcendit.

Quam turpiter, Maieſtati Imperatoriæ Nero illuſit? cum, hac gloriæ ambitione, ſine meritis raptaretur. Cùm enim pedes, quibus

cœlum conſcenderet non haberet, manus fabri, pro pedibus ſubſtituit, & in artefactis, ideoq; fictis cœlis, locum, quem illi faber, tanquã maximus Deorum, aſſignauerat, occupauit: Quis intueri potuit, illud portentum naturæ; & riſum ſuſtinere? aut quis te, Vladislae Rex inuictiſſime, noſtro cœlo præſidentem cogitare, & animi ſatis ad ſtuporem inuenire? Nam, cœlos quidem, ambitioſè non affectas, ſed mereris glorioſè: & cum illud ſupernum ſummũq;, tibi à cœlitibꝰ paratur: tu quoq; in terris, cœlos facis, cum imperium tuæ poteſtati ſubiectum, ad cœleſtium orbium imitationem, tranquilla gubernatine conformas. Nunc demum exclamare licet. O beatam, Polonæ Reipublicæ ſortem! o fortunatos, felicitatis noſtræ progreſſus! Quantùm enim, ex hac tam ingenti Vladislai Regis gloriâ, de tua virtute, magnitudine, felicitate, promittere in poſterum auſim Poloniæ, Sigiſmunde Princeps Sereniſſime? Magnus es o Princeps! & iam inde magnus es, cum adhuc paruus ætate ſis. Tua quoq; ſunt decora, quæ numeraui, tuæ laudes, quas percenſui, tua dignitas, quam ſuſpexi. Succeſſiſti in opulentiſſimam hæreditatem, gloriæ ac virtutis, ad quam te Sereniſſimus Parens admiſit, ut plus, in cunis, dignitatis reperires, quàm multi Principes, omni laborum ac vitæ decurſu, meruerunt. Quis non credat, ſi tales Dij

eſ-

eſſent, quales olim crediti, Martem ipſum, incunabula tua ambiturum fuiſſe? quæ tot galeis victricibus, tot ſcutis, tot laureis, tot trophæis vndiq; cingebantur. quis dubitet, Iouem quoq;, ſi Rex Deorum illorum, in quibus nihil non humanum erat, cenſeri voluiſſet, tibi ſubſtratam purpuram, deſideraturum fuiſſe? quâ, tam ingens triumphorum cumulus, encomiorum aceruus, gloriæ dos & theſaurus, involuebatur. O quis Superûm, aſpectibus noſtris conceſſiſſet! ut, cum creator ac opifex animorum Deus, Iagellonios illos Spiritus, ac inprimis Vladislai Regis, & Parentis maximi, ſinu tuo includebat, ſpectare liceret. At, quod oculis non eſt datum, animo eripi non potuit. Intuemur, & veneramur, transfuſam in te, maiorum tuorum magnanimitatē, fortitudinē, anhel um ad ſublimia ſpiritum, & quidquid deniq;, tot ſæcula, in Iagiellonibus ſuſpexerunt, quicquid in Vladislao Rege Parente tuo, præſens ætas laudat, ſubſequens mirabitur. Et hæc ego cum loquor, non tantum omnia quæ de te dicenda occurrunt non recenſeo: uerùm magna parte, ſpei noſtræ auſpicia, non attingo. An enim inter hæc reuocaui ſceptra, diademata, Aquilas, imperia Auſtriaca? quæ tibi naſcenti, glorioſo aſtiterunt famulitio, cum Sereniſſimæ Reginæ noſtræ, Cæciliæ Renatæ Auſtriacæ, magnæ Imperatorum filiæ, ſorori, nepti, adeſſent, Sine

me, *Ferdinande ſecunde,* olim terris, nunc cœlis, Auguſtiſſime Imperator, ſine obſecro, aliquid nō de te; humanas enim laudes exceſſiſti, ſed corā te, proloqui. Quis tuus tum ſenſus, quæ apud ſuperos, pro cariſſimo nepote, vota fuêre, ut tantus, ac talis naſceretur, quanti acquales Iagellones & Auſtriaci, imperaſſent, imperarentq́;. Quoniam verò, ille eras, cum inter nos verſareris, vt nihil à cœlis poſceres, quod non acciperes; quis vniverſa decora virtutum, oratione percenſeat, quæ dulciſſimo infanti, è ſinu numinis contuliſti? Vitam accipere, humanum erat: ad ſceptra, ad honores, ad thronos, ad regimen populorum, tutamen orbis, parem naſci, hoc Principem Iagellonium & Auſtriacum, hoc *Ferdinandi ſecundi Imperatoris, & Sigiſmundi Sereniſſimi Poloniæ Regis,* nepotem; hoc *Vladislai* IV. *& Cæciliæ Renatæ,* Sereniſſimorum Poloniæ Regum, Filium, decebat. Non igitur ignarus lucis, lucem primam aſpexit, ſed ipſam diei claritatem fulgore natalium illuſtrauit: accendit ignibus mitrarum, ſidera; æmulatus eſt, ſplendore paterno, lumen ſolis; & quod ſummum pondus habet, ea ſequentis vitæ, præſidia, eaq́; virtutis munimenta ſecum attulit: quæ omnis ætatis ac Poſteritatis commodis, ſufficerent. Illi in mundum miſeri prodeant, ac à Thracibus deplorentur; qui nudi, inermes, omni præſidio, deriuatæ in

ſe virtutis, deſtituti, prodeunt: cum tuo, Sereniſſime Princeps natali, animi hominum, ſpes, ac fortuna eſt renata, ut in *Sereniſſima Cæcilia Renata* ſemel renati, te naſcente, iterum naſceremur. Iam nunc de ſuo Philippus Macedo gaudeat leone, iam fulmen ſuum Olympias miretur, iam ſolem exorientem, Roma ſuſpiciat: nos in te non leonis, ſed Vladislai Iagiellonis, & Rudolphi Primi fortitudinem; non fulminis, ſed Vladislai Varnenſis, Alberti Primi Auſtriaci, ac Caroli Quinti vim; nō ſolis, ſed Caſimiri Principis Sancti, Cœleſtes; Caſimiri Magni, Alberti Secundi Auſtriaci, aliorumq́; Regum ac Imperatorum humanos, vt auguramur, ita ſpectabimus honores. Hos ego, nunc quoq́; in tuo Sereniſſimo aduentu, tanquam præſentes ſuſpicio, hos veneror, his applaudo.

Quid pigras trahimus moras?
Quin plauſus reſonos damus?
Venit nobilior dies;
Et lux, nobilior die,
Fulgens Principis igne.
Heu muſæ, Cytharam peto!
Sed doctam Cytharam date.
Solæ, ſtamina tendite,
Et ſint aurea ſtamina,
Magnæ congrua laudi.
Grandis materies, modos

Vulgaris ſuperat Lyræ:
Nil! hem nil! popularibus
Dicendum leue barbitis,
Hoc in munere laudis.
Magna eſt gloria Principum,
Hic eſt gloria Principum.
Maior gloria Cæſarum,
Hic eſt gloria Cæſarum:
Vno pectore clauſa.
Princeps ſit tener, eſt tamen
Princeps non puer; aut puer
Si dici patitur, puer
Princeps Regius eſt. Viro
Sic maior puer omni.
O fons ſanguinis aurei!
Virtutis Pater inclytæ,
Quàm magnum decus aduehis,
Alta vectus origine,
Claro flumine laudum!
Non puluis vitiat leuis,
Puri gurgitis alueum:
At fundus micat aureus,
Et littus pretioſius,
Gemmarum ardet in auro:
Hoc fulgor diadematum,
Exultat, radiantium,
Hoc latè nitet, omnium
Orbis gloria Principum. &
Summi, frontis, honores.

O quæ ſæcula, Principis
Laudum, ſe comites uehunt!
Et quæ ſæcula, Principis
Laudum, materiem ferent!
Tanto pondere preſſam.
Aude Vilna, ſolennibus
Portas cingito laureis,
Magni Littalidum Duces
Intrant mænia quos tuus
Princeps, reſtituit tibi.
O Regum facies graues!
O pompam Superis parem!
Hinc Iagiellonidum nitor,
Atq; hinc Auſtriadum decus,
Se ſe oſtentat in oſtro.
Vnus tot reuehit Duces,
Vnus tot reuehit dies,
Vnus tot ſuperet Duces
Vnus tot ſuperet dies
Æuo, ac laudibus, hoſpes.

ARA, SPEI SACRÆ.

Inſcriptio. Ex nomine Omen.

THESIS

Cùm à rebus ad nomina accedo, à ſerijs ad ludicra progredi, cuipiam videbor. A

cogitet ille velim, nihil in auſpicijs Principis noſtri ludicrum, nihil leue, nihil deniq; mediocre reperiri. Vulgaris conditionis exiguitas, æſtimationem hanc rerum patitur: virtus autem illa, quæ plus quam ab hominibus, nam ab ijs, qui ſupra homines eminebant, in pectus deſcendit: & fortuna illa, quæ faſtigia altiſſima, olim occupauit; ſortem atq; iudicia populi effugit. Quicquid igitur de Principe noſtro cogitauerimus, magnum eſſe debet; ac plurimis ſpei auxilijs, firmatum. Ita, Principis nomen, omen publicæ felicitatis eſt, atq; hic quoq;, Spes & Res. Et quanquam ſufficeret, ad beata ſeculorum præſagia, ab hac ara depromenda, ſola materiæ felicitas, non tamen inuito Apolline oracula pandam, donec ille, omina ex nomine, rectè ſumi, aſſentiatur. Ecce verò offert ſe, ſub vno nomine, exercitus integer, (diceres vnum hominem) vnus tamen ſanguis, vna gens. c. Fabiorum. En purpuratam cohortem! Senatores in ſago, Duces ſub militaribus ſignis, Principes vrbis Romanæ, non pecuniæ, ſed amoris in Patriam, & immortalitatis; ſtipendiarios! Hi vno animo, eoq; maximo, bellum, Patriæ in ſe auerterunt; meruerunta; pro illa, in acie cæſi, vt, quando Fabiorum domus, vrbis munimentum extitit; Roma, Fabijs pro monumento eſſet. Reſeruauit autem natura, vnicum Fabium, in quem Spiritus occiſo-

rum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rum transfudit: ut deinceps, tres continui Senatus Principes, dignitatem maiorum, pari virtute, eodem nomine referrent.

Nonnè pariter, duo Bruti libertatem Romanam aſſeruerunt, cum tres Horatij, imperium, occiſis in acie Curiatijs, meruiſſent? Nonnè Horatius Cocles, exercitum Porſennæ ſuſtinuit, ut decora vrbis, a maioribus parta, conſeruaret? Nonnè idem nomen, Decem viris Rempublicam imperio graui prementibus, oppoſitum? cum Horatius item, *f.* decem Tarquinios, illos, appellauit, admonuitq;, cum Valerio, Publicolæ Nepote, & Horatijs & Valerijs ducibus, Reges eſſe pulſos.

Pulcherrimum igitur cenſeo *g.* Probo, ad Imperatoriam dignitatem euecto, à Valentiniano datum elogium, quod *vir eſſet ſui nominis*; & Clotario, à Gregorio Turonenſi *b.* quod *ſui nominis executor*. Audeat quiſpiam negare, at ego cum Alexandro Romano decerno. *i. Nomina inſignia, eſſe oneroſa*, quod *m. Nomen auſpicium rei ſit*, & *n. fides nominum, ſalus proprietatum*, *o. Hinc, per Nomen non raro rei ſumus*, cum *p. Nominis Sacramentum non cuſtodimus.* aut etiam *q. Recuſamus nomen, tanquam Iudicem ſuſpectum*: aut *r. Factis appellationem impugnamus & calumniâ afficimus*. Diadumænus quidem, imperio, & Antoninorũ nomine dona-

donatus; ſpem militum, nominis conſeruandi ſtudio, ſuſtinuit. *f.* *Elaborabo,* inquiens, *ne deſim nomini Antoniorum. Scio enim me Pij, me Marci, me veri, ſuſcepiſſe nomen.* Pareo quapropter ſpei noſtræ, ad aures inſuſurrāti, pareo; & quid narret, quid Poloniæ à Sigiſmundo Principe promittat, enarro. Planè in rem, & ſpem noſtram, ſacrarum literarum interpres *t.* *Deus, & hæbrei ſuis nomina ab euentu impoſuerunt: & tunc nomina, erant quaſi omina.*

Poloni quoq; nullis magis quàm Principum ſuorum Nominibus, omina incluſêre. Et quia Gens, ad libertatem & gloriam nata, ad hæc vitæ decora, maximè aſpirat: ab his quoq; nomina petit. Quid enim Miecislai nomen indicat? præterquam laudis propagationem, bellicoſa gente dignam, gladio Principis quærendam? Quid Boleslai vocabulum monet? niſi non ſinendum Principi, ut fama, ſuâ, aut publicâ ignauiâ, quaſi ægritudine quadam, & dolore, conficiatur. Quid Vladislai gloriā auguratur? niſi in Principum dextris, ſitam cum gloria fortunam, quam, ipſi, comprehendere virtute, comprehenſamq; retinere poſſent. Reliqua, tanquam ſupterflua in numerum non adduco, ſimul autem, Poloni animi genium, laudis cupidiſſimum admirabundus veneror.

e. Liu. & Flor. f. Liu. g. Cornel: à Lap. in Pentateu. g. Vopiſcus. h. lib. 10. c. 28. i. In Alex

Alex m. Caſſiod lib. 5. n. Tertullia.n o Saluia lib. 3. p. Tertul. q. Idem r. Baſil. Orat. 9. s. Sandæ in Ped. t; Celad.

APODOSIS Oratoria.

Horum felicitas tantum de te expectat, quantum nomine polliceris, Sigiſmunde Princeps Sereniſſime; Felix meta ſpei, ac votorum noſtrorum. Sigiſmundum te ego ſuſpicio, Sigiſmundum veneror, Sigiſmundi nomen, ingentibus argumentis ſpei glorioſum, coram orbe proclamo. Viderit Carthago, nouennem Annibalem, ante penates patrios, in Romanam perniciem iurantem, viderit & ſtupuerit: ego te, ante aras publicæ ſpei, maiori dignitate auguſtioriq; animo, bellum contra improbitatem, ſuſcipientem intueor; & in hac triennali tua ætate, quæ prima, primis Inuictiſſimi Parentis tui, trium maximorum hoſtium deuictorum annis, reſpondet: triumphos pietatis incluſos contemplor. Quid enim potius, Sigiſmundus Poloniæ ſpondeat, quàm fore, ut rediuiuam, Sereniſſimorum eius nominis Regũ pietatem, iterum in eo ſuſpiciat mundus? Et verò, prima hæc, princepſq; eſt, expectatio populorum, à qua, illi vota auſpicantur; & cui, veluti baſi nixi, tantum ſibi de Principe pollicentur; quantos hic, progreſſus oſtenderit,

nam,

nam, ſi in hoc gradu ceſpitet primùm ad Deum, cuius nutu ſtant ruuntq́; principatus: non perueniet: tùm, procul dubio, à communi Reipublicæ felicitate aberrabit. Sit quiſq́;, ſi tamen eſſe poteſt; priuatæ fortunæ faber: publicam nemo, niſi Deus cudit. Pietas igitur, & animi intemeratus candor, eſt Dei & Principis vinculúm, inter cœlos terraſq́ ſuſceptæ concordiæ teſſera, humani ſuperniq́; auxilij nexus, mortalium Patrona, artium propugnaculum, vrbium tutamen, imperiorum murus, vrbis vniuerſi fulcrum. Hæc, bella gerit ſine expenſis, committit prælia ſine damno, fundit acies ſine vulnere, expugnat mænia ſine laſſitudine, uincit ſine periculo, triumphat ſine præſidijs, imperat ſine metu. Hæc, cœlites hominum ſocios facit, hæc, auxilia ab Aſtris ducit, hæc fulmina pro telis iacit, hæc fidelis amica, comes, miles, Dux, bonorum gaudet cenſeri Principum. Ter verò nos felices, qui terna damna, pijſſimorum Sigiſmundorum, in Sigiſmundo Principe reſarciri videmus. Intelligant vniuerſi, quàm non ex vano augurer! An enim, euentu quopiam fortuito, contigiſſe dicemus, aut potius diuinæ ſcientiæ prouidentiâ factum aſſeremus, ut dies ille, qui *Sigiſmundum Primum*, immortali vita digniſſimum, ex hac, mortalitate euocauit, natalis Principis noſtri exiſteret? Nihil, hìc egit caſus, nihil valuit fortuna.

tuna. Damna noſtra à Superis penſari cæpta ſunt: & ne Sigiſmundum tantopere deſideraremus, commodis, cum Principis ætate creſcentibus, prouiſum. Gratias pro hac Reip: cura, ô ſuperi! Fauete ut cæpiſtis! Tum enim noſtri curam, vobis non excidiſſe oſtenderetis, ſi cum Principe nata ſolatia, integra diuturnaq; ſeruaueritis. Mortuum Sigiſmūdum illum vix credimus; cum hunc natum intuemur: quaſi tumulus, in cunas à Principe mutatus, immortalem fore ſemperq; naſcentem, noſtrum Principem ſpondeat. Igitur lætitia illa, qua natalem tuum Sigiſmunde Princeps recolemus, applauſus quibus proſequemur, triumphi quibus exornabimus, tuam pariter, illiuſq; gloriam referent: & noſtrum in te amorem, in eum autem pietatem, teſtabuntur. In oleam natalem, fatalis abibit cupreſſus, vigor autem ille, Sigiſmundianæ virtutis, quem conſeruandum, fama ante vrnam exceperat, frondes ſerti genialis animabit: quia, hactenus quidem, Regis maximi gloriam, noſtræ memoriæ tutela fouit: ab hinc autem, in te uiuet. Sigiſmundum Sigiſmunde refers, illum inquam Sigiſmundum, qui tam admirabili prudentia Regni clavum adminiſtrauit, & tantâ gloriâ, pietatis & virtutis per orbem ferebatur, ut Solimanus quoq;, Turcarum Imperator, eum, Patrem ſuum, ac Regum, appellaret. Spectatur pariter,

in ſpei tuæ auſpicijs, *Sigiſmundus ſecundus*, verè re, ut nomine Auguſtus. Senſit, in hoc filio, non degeneres à Parente Spiritus, Polonia, cum ſumma felicitate, eaq; virtuti obſequente, non modò tueretur commiſſum, ſed proferret inuictum Imperium. Quo verò quàm pio, quàm ingenti pietatem coleret animo, ſæpè quidem patuit; at tum clariſſimè, quando Iudex Sacrarum de Religione cauſarum in cōmitijs dictus, in vocem Principum memoria digniſſimā erupit. *Rex ego, non paſtor*. Adiunges his, pietatis imitatione expreſſum, *Sigiſmundum Tertium*, auum tuum Sereniſſimum, tantoq; facilius, ſanctitatem eius, ad te deriuabis, quantò tempore propinquior eſt. Boni cœlites! quàm ego repentè, lapſu quodam ſermonis, (Sigiſmundi enim Auguſti laudibus inſiſtere ſtatueram) in hunc Regem, non tam noſtrum, quàm veſtrum incidi. Huius vitæ ſpatia, pietate non temporibus definita ſunt. Nondum, primum ætatis emenſus fuerat ſtadium, & iam adeò ſuperos deuinxerat, vt pro famulitio, eorum operâ, vteretur. Norunt qui viderunt, nouimus, qui certa fide accepimus, noſcent deniq;, & iam cognoſcant poſteri; cum acies, ad Sigiſmundum, ætate tenera laborantem è viuis tollendū à Principe affini expedita, iret, cœleſte quoddam numen, gladio vibrato, itineris tranſitum occupaſſe; necemq; ſiccarijs mi-
na-

natum, monito hoc ſuperaddito. *Irent ad Principem ſuum, ac ut à necis molimine, animum auerteret, monerent. Sigiſmundi tutelam, ſuperos gerere, nec vnquam ab eo potiſſimum tempore, illum deſerturos.* Certauit, toto deinceps uiuendi ſpatio, grata, liberalitatis æmulatione cum ſuperis, vt cui vitam deberet, ipſo vitæ genere, palam faceret. Vos ego teſtor ſacratæ cœlitum aræ, vos fana diuorum, Maieſtate pariter, ac multitudine glorioſa, vos potiſſimum Vilnenſia in D. Caſimirum pietatis monumenta. Errent cæteri, qui marmorum fidei, perpetuitatem ſuam committunt: Nam neq; ipſa æternum ſtant, & cum longiſſimo æuo ſteterint, quærere adhuc licet, ambitio ne, an virtus erexerit? Sigiſmundus tamen, non errauit. Animata enim, in Divorum effigies marmora, coactaq; ad obſequium ſacrum, ſaxa, non laudes tantum authoris prædicant, ſed referunt etiam pietatem: quâ, magis quàm ſuo corpore conſtant. Hæc qui cogitant, qui ſuſpiciunt, qui laudant, cùm ad te Sigiſmunde Princeps mentem conuertunt, an alium te, cogitare aliumq; dicere poſſunt, quam ter Sigiſmundum, id eſt pijſſimum, religioſiſſimum, ſanctiſſimum. Præſto adſunt, paterna quoq; maternaq;, ingentis pietatis exempla, tibi ad imitandùm propoſita: eaq; tot ac tanta ut auguſtum illud palatium (quod te naſcentem excepit,

Tem

Templum Regalis ſanctitatis, non Palatium dicendum, meritò exiſtimem. Conſtitue in mente tua, quæ, etſi nondum multa, præ tenera indole, capere poteſt, Deum tamen capit; ampliſſimum hoc Imperij Lechici vniuerſum, in quo nulla eius pars, nullus locus, à pijſſimorum Regum, pijſſimis exemplis alienus occcurret. Hinc quicunq;, beatiſſimi Regni, pacifico ſpectaculo, longiori mora interſunt, non pacis tantùm imagine, ſed & pietatis mentem oblectant: atq; ad Vladislaum Sereniſſimum Parentem tuum conuerſi, illum intuentur, illum prædicant, illum, non humanis ſed diuinis quoq; laudibus, attollu nt. Iaceat, ignaua improbitas, triumphalibus calcata pedibus, iaceat ſcelus, iaceat impietas, ſurgat autem pietas, vigeat pietas, creſcat pietas, triũphet pietas, & Pijſſimus ac religioſiſſimus, cũ ſanctiſſima conſorte, Rex noſter, Parens tuus, Vladislaus. Ecce verò per merita Sereniſſimæ Reginæ, ad Auſtriacæ quoq; pietatis mentionem perueni: tibi Princeps Sereniſſime cognatam, & ſpei noſtræ auſpicijs, fæcundam. At, nihil amplius dicam, poſteaquam Auſtriacam nominaui. Omnia enim ſanctitatis vocabula, hoc ſolo nomine continentur, & non oratoris, ſed Oratorum eſt, dicere, quid ſit eſſe Auſtriacum. Plus ab hac domo pietatis, quàm ſanguinis, in poſteros deriuatur: atq; à pueritia prima, vberibus, non tam nutricum, quàm Chriſti aluntur. Ita na-

tus Princeps, ita creſces, ita uiues: ita ad eam quâ, Sigiſmundi noſtri perfruuntur, gloriam peruenies: vt cum Sigiſmundos in te expreſſos reddideris, Sigiſmundus, id eſt, *Muſis dignus* habearis. Quanquam enim literæ, in omnium obſequia officioſæ, aut ſunt; aut eſſe videntur: (nam eſſe, non niſi, in laudibus meritorum debent) nihilominus, nemo encomijs eruditis, materiem digniorem præbet, quam ille qui ad aras pietatis, ſua opera conſecrauit. A ſuperis ſuam originem literæ trahunt, & è cerebro Iouis, cum Pallade genitæ: ut primordia, ita incrementa ijſdem referunt. Laus vera cenſeri nequit, quæ argumenta ſua, cœlo non probauit. Quod ſi, ad ſpé, promiſſæ in te felicitatis, calami aſſurrexerunt: quæ tandem ad maturiora encomia, erigetur æmulatio? aut quâ contentione gloriæ, laus tua prædicabitur? Intuere iam nunc, Academiam Vilnenſem, ad tuæ ſacræ manus oſcula adruentem, intuere nobiliſſimorum ingeniorum induſtriam, tuis laudibus ſe erudientem; & venerationem, ſemper tuæ dignitati impendendam, hodie deuotam agnoſce. Laborent alij, vt laudes mereantur, alij, ut meritas referant: te, & meritum in tuis maioribus fatemur, & uniuerſitatem laudum, cum vniuerſitate literarum, una tibi conſecramus. Crede autem princeps. Non minor gloria venit à calamis, quàm à gladijs; &, ſi nobis

bis non credis, illi crede, qui victorijs orbe peragrato, victum ſe ab Achille ingemuit, quod Achilles encomiaſten Homerum inueniſſet, ipſe neminem mereretur. Procul vero æternùm à tua fortuna hæ querelæ.

Orbis amor Princeps! terrarum Sidus amicũ,
Vnica ſpes noſtri, deliciumq́; ſoli:
Ferre tuas laudes quæ poſſit carmine Muſa?
Quæ tamen in laudes, nollet abire tuas!
Lis homines verſat, potius venerentur amét ne!
De te; Amor & cultus, pulchra duella gerũt.
At meritis laudum, felicia fœdera pangis,
Vt concors animus, quod ueneratur, amet.
Quid dubitem? timidæ mentis diſcedite curæ,
Obſequioſa meæ, currite fila manus.
Currite, non ſatis eſt, tardo procedere greſſu,
Immenſo patuit, gloria panſa ſinu.
Impulſæ aufugiunt cognatis ſedibus undæ,
Ac ſubmota ſuis æquora littoribus.
Scilicet auſpicijs Princeps Auguſte Secundis
Laudi, magna tuæ fama theatra parat.
Ibis per ſummi calcata cacumina cœli,
Ibis Io. fauſti per iuga ſumma ſali!
Altior & cœlis, & terris amplior, omnes
Sigiſmundano, menſus honore gradus.
Et neq́;, mortalis ſplendor, comitatur euntem,
Sed comites ſuperi ſunt, ſuperiq́; Duces.

Dux

Dux præit, illuſtri vultu Regina polorum
Relligio, & pietas, concomitata fidem.
Sacra cohors, ſociæ cœleſtes, turma fidelis,
Terrigenûmq́; decus, cœlicolûmq; decus
Viſa eano. Sacros cum Phæbus conderet ignes,
Pelleret & totum nox inimica diem.
Semita candenti micuit per ſidera luce,
Succenſæq; ſimul promicuêre faces.
At ſuper Arctoi ſtabat capita alta Bootis,
Aurea deſcriptis ſculpta columna notis.
Hoc iter, hæc ſobolem Vladislài ſemita ducet,
Sigiſmunde, graues, non patiere dies,
Perge, memor proaũũ ſacros reparare triũphos,
Sunt potiora alto, fixa trophæa polo.
Credite! non ſenſus fallit, neq; perfida luſit
Auris, at in certo pectore, verba ſedent.
Ter data vox cœlo, Regnis vox nota Poloni.
Auguſto Regum proflua ab ore venit.
Chare nepos Ataũũ, magni laus magna Parẽtis
Vive diu, & felix ardua calce preme.
Sidereas Patriâ pietate merebere laudes,
Ter Siſmunde ſolo', ter venerande polo.
Eueniet! votis ſuccedant gaudia certis.
Quæ venit è cœlis, indubitata fides.

ARA,

ARA, SPEI FORTVNATÆ

Inſcriptio

Indoles bona, vates Optimus.

THESIS

HActenus, aut à longinquo, aut ex occulto, Spes noſtras proſpiciebamus. Ecce iam feliciori aſpectu beamur, ecce coruſcis emicant fulgoribus, & ſe ſpectandas in aperto præbent. Quemadmodum arborum fructus immaturi, etſi guſtum non perficiunt; colore tamen ipſo, & ductis quibuſdam bonitatis ſuæ, in cortice lineamentis, ad quem matureſcant ſaporem, oſtendunt: aut quemadmodum auri argentiq; fæcunda tellus, pretioſum quidem illum partum, ſplendore non prodit: nihilominus, ſigna & indicia latentis opulentiæ in venis diſponit: ita nobiles & ingenui animi, quanquam incluſam intra ſe virtutem, in publicum non promunt: in factis tamen, verbis, atq; ipſo vultu, operum præſagia maturiorum, præſeferunt. Mecū decernit laudatiſſimus Orator. a. *Ita intimos mentis affectus, proditor vultus enunciat, vt in ſpeculo frontium, imago extet animorum.* Neruosè & doctè Magiſter eloquentiæ. b. *Generoſæ arboris planta, ſtatim cum*

fructu eſt. Hic tamen fructus, ſpes ſolas paſcit c. *Hinc Brachmanes edito infante, ex membris, cuius* eſſet indolis, diiudicabant. At ſapiés orbis, d. *Indolem, igniculos naturales, & quædam veluti ſeminaria virtutum* dixit. Iſocrates vero, e. *Pueros felicis indolis, Deorum filios* nūcūpauit. Vtor in primis exemplo Alexandri Macedonum Regis. Hic puer admodum, cum Perſarum legati ad parentem veniſſent, quantum animum in tenero corpore aleret, magnificè prodidit: cum inter colloquia, nihil ab ijs, de aureo arbuſto, nihil de hortis penſilibus, nihil de Regis cultu interrogaret: ſed quaſi bellum protinus illaturus, quantæ Perſarum copiæ, quæ uiæ, ad ſuperiores prouincias Regni contendenti, à mari compendioſiſſimæ, qui modus, illis pugnandi, quem locum Rex in acie teneret, tantâ diligentiâ requiſiuit; ut admirati Perſæ indolem, dixerint, f. *Puer hic eſt Rex magnus, noſter autem opulentus*: g. Themiſtocles à præceptore ſuo, pueri indolem diligentius perſcrutante, ſæpius admonebatur. *Tu, mi puer, nihil mediocre eris, ſed omnino, vel magnum Patriæ lumen, vel magna peſtis*. Marius, ſepties Romanus conſul, h. cum puer adhuc, grauiſſimis viris inter cænam de Republica differentibus adeſſet; atq; inter multa, Scipio interrogaretur, Quem egregium Imperatorem reſpublica habitura eſſet? reſpondit. *Vel hunc*;
 digi-

digito Marium oſtentans, & ingenium eius, ſummis rebus aptum pernoſcens. Quid ille liber ſpiritus Caſſij, quàm apertè ſe in pueritia prodidit?

Gloriabatur fauſtus puer, L. Syllæ filius, de parentis Monarchia, coram coætaneis, inter quos Caſſius aderat. Non tulit aduerſum Romanæ libertati, ſeruitutis nomen Caſſius, gloriantemq́; colapho petijt, ac coram Pompeio accuſatus. *Dic*, inquit, item *fauſte, Parentem Monarcham, & ego rurſus, libertatis violatæ pœnas, à te repetam*: vt iam tum appareret; non defuturum illi animum, ad Cæſarem dictatorem interficiendum. Veriſſimè Lælius i. *Multis ſignis natura declarat, quid velit, ac quæ rat, ac deſideret*. Carolus v. Galliarum Rex, k. Filio ſuo Carolo vi. explorandæ indolis causâ, coronã aureã galeáq; porrexit; quam cũ ille, relicto diademate arripuiſſet, ſpecimen militaris indolis prodidit.

Longè verò pulcherrimum, domeſticum Boleslai III, Vladislai Secundi Regis Poloniæ Filij, extat exemplum. Nonum ætatis annum apud Parentem agebat, cum Secechus Palatinus Cracouienſis, contra Morauos mitteretur. Non tulit ardor pueri militaris, domeſticam ignauiam; genuaq́; Patris, ac collum amplexus, multis lachrymis exorauit, ut in caſtra abiret. Vbi verò ad exercitum ventum eſt,

ver-

verſari in ordine, omnibus arridere, æſtum imbreſq́; pati, cubare humi, obire vigilias, cæteraq́; onera caſtrenſia, præter ætatem ſubire ferreq́;: vt indoles illa ſtudiumq́; pueri, futuram eius magnitudinem, non obſcurè portenderet.

Verum niſi indolem, recta firmet inſtitutio, facile homo à ſe ipſo deficit, & naturam, moribus mutat.

Hic igitur Rhodus, hic ſaltus: vt, benè nati, benè viuant. benè illos educare. Hinc Poeta. *m. Vt quiſq; filium ſuum vult eſſe, ita eſt.* Quanquam enim, *n. Anima bene nati, præceptis obuians, magis a ſe ipſa, quàm a magiſtris adiuuatur.* & *o. Quemadmodum* Dij *immortales nullam didicêre virtutem, cum omni editi: atq; pars naturæ eorum eſt, eſſe bonos: ita quidam ex hominibus, egregiam ſortiti indolem, in ea quæ tradi ſolent, perueniunt, ſine longo magiſterio:* nihilominus, magnâ hic opus diligentiâ. Nam *p. à magnis ingeniis, ut magnæ virtutes, ita etiam magna uitia proficiſcuntur.* Quod ſi priuatis etiam, hoc ſtudium non negligendum, & tanquam publicum tractandum, quod *q. Ciuitas talis futura ſit, qualis adoleſcentum educatio.* quanta vigilantia ac prudentia requiretur, in inſtituendo Principe? qui nunquam ſibi ſolùm bonus, aut malus eſt: ſed qualis ille fuerit, talem Rempublicam eſſe opor-

tear. Principum magiſtri, Rerum publicarum artifices ſunt; quæ ſuis Principibus, vel ſua ſpte, vel inuitè conformantur.

a, Latin. Pacatus. b, Quintil. c. Alex. ab Alex lib: 2. cap. 25. d. Plato e. Iſocrates f. Plutar. in eius vita g. Plutarchus. h: Etropius lib. 5. 1, Cicer. k. Theat. vi: l. Cromer. lib. 3. in. Terent n. Philo. o. Senec. epi. 9. p. Plut, q. Natal:

APODOSIS Oratoria.

Verùm ego, nec inter aulas verſor, nec Principem erudio: at illa loquor, quæ in Principe Sigiſmundo certa, certam quoq; magnitudinis eius ſpem nobis faciunt. Difficile quidem videtur, ex tam tenera, & triennali ætate præſagia legere: verum excellens hoc tuum, & Principe dignum ingenium, ſic quoq; ſe prodit, & iam publico gaudet. Otho Imperator, cui deinde, magni nomen inditum, nullum maius, ætatis ſecuturæ ſpecimen in pueritia edidiſſe legitur, quàm inſignem hilaritatem, à qua inter ipſa prope crepudia, Orbis Amor dici meruit. Rapis nos, in ſimiles affectus, & præconia Sigiſmunde Princeps, & ſuauiſſimis tui animi, vultus, morum delicijs; non ab inuito animo, confeſſionem hanc tibi honorificam, nobis gratam, omnibus temporibus ac ſæculis

fortu-

ſortunatam extorques, ut te, Amorem Orbis, cum vniuerſi, tum Poloni conſalutent. Amant omnes, Magnam Magni Vladislai prolem, amant creſcentis Regni decus, amant aſſurgentem Septemtrionis gloriam; & cum id amant, tum iucundiſſimis hilaritatis tuæ inuitamentis, ad maiorem tui amorem pelliciuntur, imo ad perennem prouocantur. Allicis affectus intuitu, detines gratiâ, imples & perficis ſuauitate: ut in hoc tuo flore, maturum illud, Principum Optimorum præſcriptum impleas, *A Principis vultu, non debere vllum triſtem abire.* Hoc dicunt, quicunq; te aſpexerunt; hoc ſentiunt, quicunq;, te intueri deſiderant. Nam quid illud auguſtum & frequens, Procerum, tui inuiſendi deſiderium? Quid perennes in tuis ſanctiſſimis clauſtris conuetus? quid tam crebræ magnatum ſalutationes, volunt? niſi ſpes ſuas, è propinquo oculis libare, & à tuæ præſentiæ dulcedine, nobilem animorum petere oblectationem. Quis eſt, qui ad auguſtum Sereniſſimi Regis conſpectum admiſſus, tuum ſimul non petat? ut quod in Inuictiſſimo Rege, veneratbundus admiratur, hoc in te amet. Quis eſt, qui ſupplices preces ante eius clementiam deponat, quin pro ſummo gratiæ Regiæ cumulo, tui aſpectum exoret? quod nullus, tantùm gaudeat, ſibi aliquid conceſſum, quantùm, te Reipublicæ datum, gaudet: Quis eſt, qui Sere-
niſ-

niſſimæ Maieſtatis triumphales manus, placidiſſimam Polonæ felicitatis ſedem, oſculo veneretur? quin ſimul idem obſequium tibi humiliter deferat: ut quemadmodum in illis præſentium ſæculorum; ita in tuis, naſcentium proſperitaté, ſuauiſſimè debaſiet. At tu, ita humaniter ſuſcipis aduentantes, ita grauiter ſalutas, ut non in palatiorum, ſed in orbis medio conſtituti, Principem affabilitate grauiſſimum, Maieſtate venerandum, intueri exiſtiment. Delectat igitur te ſuſpicere, delectat à facie tua pendere, ac non ad Principem tantùm, ſed ad delicias itur. Oculorum tuorum gemmæ, radijs gloriæ ſcintillantes, frontis amæniſſima planities, nitoris ſpecie conſpicua, genarum purpureum decus, auroræ roſarumq; æmulum, non magis ſpectabilem, quàm amabilem te reddunt: digniſſimumq; non brachiorum, ſed animorum complexu. Nemo in tuo vultu oculos figit, quin animo in Inuictiſſimi Regis reprimatur conſiderationem, atq; in publica encomia erumpat. O Vladislae, non terris tantùm, ſed etiam cœlis cariſſime! quo tandem animo tibi hunc ſuperum gratulemur fauorem! quem cum mereris, nos quoq; beatos facis. Neq; enim Regum conditio ſingularis eſt, verum ſiue aduerſis, ſiue proſperis utatur fatis, ad vniuerſos pertingit. Domuiſti barbaros, non huic tantùm Regno, ſed vniuerſæ Chriſtianitati formidandos,

dos, alios armis, alios terrore, hos iuxta, & illos, admirabili virtute: vindicaſti Rempublicam infeſtantium periculorum metu: donaſti Patriæ, diu vanis imploratam votis pacem: impleuiſti orbis ſpatia, immenſis gloriæ monumentis: at vnum tibi, vnum nobis optandum erat, ut gloriam tuam non tantùm conſtanti, verùm etiam viua, Sobolis Auguſtæ expreſſione, propagares. Reſpexerunt, ſuperi, ad omnium deſideria, reſpexerunt ad publica vota, reſpexerunt ad tua merita: & Sigiſmundum dedêre Principé, qui Te nobis ac poſteris referret. Altiùs te cæteris Principibus, primùm quidem Regalis thronus, tum non Regum; ſed virtutis comes, fortuna extulit: multum tamen, ad perfectam ſucceſſuum feliciſſimorum proſperitatem defuiſſet; ſi poſteaquam nobis vixiſti, poſteris non viueres. Nam lex lata, æternùmq; duratura; ut vos, quos ingentia virtutis facta, mortales eſſe non ſinunt, ad immortalitatem è mundo tranſmigretis: illam tamen, quæ humanis oculis non cernitur. Et quanquam memoria ſuperſtes, vitæ munus explet: eſt tamen quoddam viuendi genus beatius, & quaſi animata gloria, in prole ſua ſupereſſe. An verò aliter, cogitare audebimus de Sigiſmundo III. beata illa perennis vitæ ſpatia iam emenſo, niſi quod ille ab alto in terras proſpectans, non omnino à nobis abeſſe videtur; quibus tu, Maie-

ſtate

ſtate illius ac gloriâ æmulâ interes. Difficile eſt equidem ab humanis non tantùm rebus, ſed verbis mortalitatem excludere. Itaq; inuitus licet, pace tua Reſpublica, pace veſtra ô Poloni dixerim, tu quoq; Vladislae Rex Inuictiſſime, cum humanum hunc terrarum incolatum (ô utinam ſero! ô! ſi licet optare, tùm, cum natura finem acceperit) reliqueris, Sereniſſimam prolem tuam è coelis proſpectans, coeleſti pariter & humana immortalitate perfrueris: illi iuxta atq; huic præſens, illi quidem in te, huic autem, in tui Parte, ideſt Filio. Noniam habent in te locum illæ querelæ; ad quas, Cambyſes, Regis Perſarum Cyri, filius, fato occulto peruenit; vt æmulatus, omnium virtutum imitatione, parentem, cum an patri Cyro, par videretur è ſuis quæret? ingratum acciperet reſponſum. Non videri Cambyſem Patri æquãdum, quod non eſſet illi filius talis, qualem Parens reliquiſſet. Tu tamen Rex Sereniſſime, non tam Tibi, quàm nobis gaudes, quorum auxilio, gloriæ, munimento datus, etiam poſt fata Rempublicam curare non deſines. Erat illud tempus, quo Regibus orbata Polonia, peregrinam debuit inuocare virtutem: vt congruè libertati; nec publicæ incolumitati omnino aliquando incommodè; nec tamen ſemper commodè. Cũ enĩ Reges quæreret, bella inuenit: donec Parens tuus Sereniſſimus, reddidit nobis

per

per te, deſideratum Iagiellonum ſanguinem, & cum cognata virtutis magnificentia, optatam tranquillitatem. Liberi quidem ſunt, erunt, ut eſſe debent Poloni; atq; Principes non accipiunt, ſed eligunt, nulli niſi virtuti parere aſſueti: nihilominus, cum domi qui imperet reperitur, peregrinari cum ſuffragijs, non aſſueuerunt. Æquum eſt, magnificum eſt, glorioſũ eſt, imperaturum omnibus, ex omnibus eligi; at quis congruum, ex Polonis unquam iudicauit, fortunam per orbem quærere, quæ intra ædes teneretur? Cui præterea obſcurus eſt, ingens totius Poloniæ erga Vladislaum Regem animus & conſentiens populorum omnium concordia; aut Vladislaum, aut Vladislao ſimillimum, ſemper habere optantium. Quis verò Parenti ſimilior, quàm Filius? ei præſertim parenti, qui vitæ munere Parens eſt, diſciplina magiſtrum, exemplo ducem ſe exhibet. Recedat igitur, recedat procul animo cogitatio, quam commoditas materiæ intrudit, ut ego aliquid de Principis noſtri inſtitutione agam. Dixi ante, quæ alijs Principibus conueniunt: at de Principe noſtro nihil dicendum reſtat, quia quod alij præceptis docetur, ille exemplo diſcit. Neq; enim Princeps Sereniſſime, alia tibi norma aut regula, ad publicam felicitatem propoſita eſſe debet, quàm Regum Optimorum, Auguſtiſſimum exemplar, Rex &

Parens Vladiſlaus. Hunc tu inſpice, hunc imitare, hunc exprime: ſic tibi, ſic nobis, ſic orbis expectationi par euaſurus. Ad ſceptra te à natura editum, regia tua ſors monet: vide igitur, ut illa Vladiſlaus Rex tractet. Ad diademata te natum, intelligis: vide quâ fortitudine, quibus meritis illa Vladiſlaus Rex ſuſceperit. Adorat te Suecia, Gottia, Vandalia, hæreditarium Principem: non recuſat per virtutis ſuffragia, tuo ſubijci Polonia imperio: alterum perduellibus eripies, alterum autem mereberis, cum Vladiſlao, euaſeris ſimillimus. Nam quod Regna illa, tibi naturæ iure mancipata, turpem tam diu ſervitutem ferunt, primum quidem fato id quodam contingit; tum verò incredibili Vladiſlai Regis erga nos pietate, qui patitur ſibi, tam amplum ac Regale patrimonium ſubtrahi, ne quietem noſtram, armis interpellet. Erit tamen, erit illud tempus, quo regna olim nobiliſſima, malorum ſuorum pertæſa, ad Principem ſuum reſpicient, eligentq; obtemperare dominis, quàm mancipari ſeruis. Quis ſcit, à hoc ſuperis ſteterit edictum, catulos illos, regnatricis leænæ ſubreptitios, alieniſq; incubantes ſpecubus, aut in uictimam, ante Sigiſmundum Principem caſuros, aut Dominū, ſupplici deditione agnituros? Tu verò interea Princeps Sereniſſime, perge felix ex voto omnium publico, ad exopta-

optatam ſpei noſtræ maturitatem: promoue, deſideriorum noſtrorum, maioribus creſcentium in dies virtutum paſſibus, ſegnitiem: vige, creſce, vota quoq; noſtra vince. Optare plus quàm optamus, non poſſumus, at tu Principum gradu, vulgi parua deſideria tranſcende, donec ad illos Iagiellones, illos Auſtriacos accedas. Obuerſatur menti meæ, non hæc tantum tua, ſed illa quoq; ætas, quæ inter primum humanæ vitæ vſum; & inter honoris emeritas dignitates, media intervenit: animo grandis, robore uiuida, æui flore conſpicua. Videor te videre, non tam turmis hominum, quam virtutum; pietatis integritatis, ſanctitatis, temperantiæ, moderationis ſtipatum: inter nobiliſſimæ iuuentutis agmen perilluſtre, cæteris tã altè eminentem, quantùm reliquos omnes, Principis ſuperas dignitate. Videor intueri, oculos hominum in te conuerſos, admirationem in te defixam, ſtudia tibi deuota: Te verò ſpecioſiſſimis Regalis animi inſignibus conſpicuum, maius aliquod cæteris, opus virtutis, molientem. Quis tùm ſatiare aſpectum vultu tuo, quis ora laudibus poterit? Ibis glorioſus, quo te veſtigia maiorum tuorum, peramplifſima nobiliſſimorum facinorum ſpatia, deducent, nos vero, iam non ſpes noſtras, quas nunc à longè ſuſpicimus, verùm publica commoda ſolatiaq;, Te, per laudes ſecuti, colligemus. O felices illos
ſo-

ſoles qui nobis lucem operum tuorum aperi-
ent! ô beata tempora, quæ tuo ſplendore, quàm
ſua dignitate clarius niteſcent! ô ver ætatis
tuæ gratiſſimum! o vitæ ſpatia, iuſtitiæ cultu
compoſita, temperantiâ ſacra, prudentiâ ve-
neranda, fortitudine admirabilia, omni deniq;
genere virtutum opulentiſſima!

At, quæ tam ſubito noua
Terrarum, facies? iuueneſcunt ſingula Regni
Lechiaci decora: an lepidis mens ſobria vatem
Delectat oſtentis? ſenile
Cum plumis exuit robur,
Ille, ipſo nido, & prole clarus inclytâ
Signifer Regni, generoſus ales.
Et iam trinacrijs nouum caminis
Fulmen recuſſum fert recenti
Viuidus roſtro, geminumq; Moſchi
Diuidit telo caput irretorto,
Alitis, audax vincere, vinci
Aſſuetum; hic vitrei littora Viſtulæ
Pæana clangunt, quæq; refundere
Aurum obſoletæ mercis, & indigans
Auarioris copiæ ſitim,
Lechicis olim didicêre Regnis:
Iam graues ferro reuehunt carinas,
Iam gladios, & acuta belli
Nouo miniſtrant militi,

Quia

Quin ipſa ſponte, naſci arma imperat,
Natura Lechis prouida:
Subruit alto turbine putres
Quercus, & ornos tollit inutiles,
Plantaſq; in arma fabricat nouas,
Gnoſijs arbos tiliæ ſagittis
Frondet, in flexos ſinuatur arcus
Corneis ilex animoſa nodis:
Fraxinus in teretes truncos, ut ceſpite ab imo
Quot trunci teretes ſunt, tot cōſurgat in haſtas,
Arcuſq; parui, hoſtæq; paruæ,
Cum plantis ſolidè creſcunt, & ab arbore adultâ
Accipiunt robur.
Ipſe grauis ſenio, crudum thoraca lacertis.
Exuit antiquis Mauors, & pondus honeſtum.
Ingentis gladij paruum commutat in enſem,
Atq; iterum Iuuenis, primos puerilis in auſus
Loricæ modico cingit ſua pectora ferro.
Nec gracilem verſare pudet, iuuenilibus haſtā
Palmis, nec tenui paruas numerare pharetrâ
Ad belli rudimenta ſagittas.
E heu Poloni, prodigioſior
Succedit ætas! non malè Sarmatas
Bellona ridet, non male Sarmat's
Fata Mouortem renouant adultum,
Cum puero ſua Regna Rege
Ma ſq; ipſe creſcit cum Puero Puer,
Iam diu pacis ſuper otioſæ
Dormiit ſtratum, pigra feriarum
Iam

Iam diu nullis ſpecioſus armis
Feſta ſub tecto ſalit Africanis
Splendido tignis, pudet heu! ſupinum
Induit plumis caput, & lybyſſæ
Alitis criſtas, galeaq́; toruam
Gorgonem ciſtis, uitio ſenectæ
Obſerat. Inde alio labuntur tempora gyro.
Stringe aciē Iuuenis Mauors, poſt lōga ſenectæ
Tædia, & ad pueri propior penetralia Regis,
Et teretes clypeos, fer parua haſtilia, ludo
Otia & exigui plumbum vocale Colubri:
Infantiæ Regalis horum
Amor, paternam natus adoream
Æquare, primis dum licet oſculis
Ferrum oſculatur, brachia penſilem
Rapturus enſem tendit, & horrida
Aſpice, quàm ſtricti puerum delectat imago
Ferri, vulnificuſq́; chalybs, & ahenea rauco
Machina mugitu reboans
Quiſquamnè ſenſus Baltidos æquori
Dudum rebelli? num reſonas cauâ
Concha triremes, cedere pertinax
Innare geſtiet. Polonos
Viſurum gladios, non ſine liuido
Pallore, vindici mucrone iuſtos,
Et iuueni ſua ſigna Marti
Opponet? Eheu perduellem
Qui ferro repetet vindice Gottiam;
Iam puer paruo lateri fidelem

Sub-

Subligat enſem
Iam fuluum capuli verſat ebur, ferox,
Innoxioſq; exercet ictus,
Mox refugo metuendus hoſti.
Ille, & gramineo figere ceſpite
Vallum peritus, caſtraq; mutuis
Arcere foſſis, & locare
Hâc equitum ſtatione turmas,
Illâ pedeſtres, non pueriliter
Secum conſilio certat, & hoſticas
Hâc arte Regius puer cateruas
Cædere fuſas
A tenero meditatur vngue.
An & pelaſgus non metuit latro?
Olim pauper ad algidas
Caucaſi rupes, modo glorioſæ
Virtute an aſtu victor Achaiæ?
Piget fateri. Tollite barbari
Lunæ occidentis ſigna, cruentior
Sors aleam mutare cogit,
Atq; iterum meliore marte
Retro palantes Aſiæ Tyrannos,
Regnorum ſpolijs graues,
Iam diu, ad limen Patriæ reduci,
Arceſq; Bizanti ſuperbas,
Pro Caſpijs mutare vicis,
Iugoq; rurſus colla reciproco
Impiè multis dominata Regnis,
Subijci fatum eſt. Oriens videbit,

An ſeruitutis anxius nimis ſuæ,
Poſſe deſperat fieri, ſuoq;,
Eripi ſeruus dubitat Tyranno
Poſſe? me vatem generoſus audi
Coe ſurgens. Nam mihi Sarmata
REX ORIENS ita fatus. Eheu!
Fatidicis liquido volucré ſuper æthere pénis,
Mens iterum mea, me reliquit.

R.P.S.Z.S.I.

PANEGYRICVS

In laudem Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini D. Valeriani Suſzkowski Protaſewicz, Epiſcopi Vilnenſis, Collegij & Academiæ Vilnenſis Fundatoris. 1640. Nomine Academiæ.

AVguſtus hic vniuerſæ gloriæ apparatus, quo ſæcularis annus Societatis, in applauſum Academiæ euoluitur, non pluribus annorum partibus conſpicuus; quàm meritis Illuſtriſſimi Antiſtitis *Valeriani Protaſewicz Suſzkowski* illuſtris; oculis atq; animis noſtris obuerſatur. Ille enim, inter tenera naſcentis ſæcu-

ſæculi incunabula, animum venturis poſteritatis commodis, aptauit: inter aſſurgentia ætatis increméta, deiecta boni publici præſidia, literis aduocatis, inſtaurauit: in adulta beati ſæculi perfectione, maturis ingentium operum fructibus, conceptam Votorum implet voluptatem. Nemo igitur hodie venerandam ſacrorum maieſtatem, integro gradu perſtitiſſe cógitat, quin Præſulis inuictam fortitudinem, ſub onere triumphantem agnoſcat: nemo ampliſſimo ſcientiarum cultu, inſtructas ſapientiæ ædes ſuſpicit, quin ſapientiſſimum Academiæ Parentem, publicis commodis ſe impendentem excipiat: nemo religioſæ virtutis ſacrum domicilium obſeruat; quin erectam ſanctiſſimi Antiſtitis pietatem, ad venerationem aſſumat. Nimirum, vt immortalitatem Valerianus mereretur, immortalia factorum monumenta, ſæculis intulit: vt verò vinceret, diuiſis per multa merita virtutis inſignibus, amplius extendit. Tantùm igitur ſupra multorum virorum illuſtrium fortunam eminet, quantùm illi ſupra communem.. Promouerint alij generoſos animi ſpiritus, ad virtutis amplitudinem, vt vitæ breuitatem compenſarent: obiecerint alij nobiles conatus tempori, vt effuſam labentis fugam, coërcerent: ille infra dignitatem ſuam ratus, quod commune, tantummodò fatum excederet; meritis ſæpiùs auctis, ſæpius

factus eſt immortalis. Audete poſteri, ad pulcherrimum vitæ decus præeuntem, ſequi! ego quos in progreſſu nobiliſſimi ſtudij gradus tráſcenderit, digito monſtrabo: & maximis eius meritis, quibus Societatis impleuit ſæculum, grato officij teſtimonio, animum deuouebo.

Primus æternitatis occupandæ labor, in adoleſcentia conſtitit. Eſt enim hæc ianua quædam, quâ, ad virtutis vſum intromittimur: quam, ſi quis delicato pede inſcenderit, fatigat paſſus: ſi effreni licentiâ inſolenter inuaſerit, offendit virtutem; & veluti fatali alliſus ſcopulo; ad perénes vitæ errores, damnatur. Confine ſcilicet virtuti vitium, mendacia boni alit; vt ingenuos, ſpecie libertatis ad licentiam, teneros, dulcedine quietis ad otium, nobiles, gloriâ generoſi animi ad cupiditates pertractos ſceleris audaciâ infaſcinet. Vicit tam immanem ætatis Scyllam, felici uirtutis paſſu Valerianus, & nobilem, equeſtris dignitatis libertatem, in tuto collocaturus, adoleſcentiam ad literas duxit: vt cum intra modeſtiam iuuentutis, intra exercitationem laboris, intra præceptorum moderationem, inconſtantiæ depoſuiſſet pericula; tum par ſibi, & conceptæ de ſe expectationi, in publico, ad auitum nominis decus decurreret. Parum tamen, ingenuo generoſæ mentis ſtudio viſum, diſcendo iuuentutem excollere: niſi ſimul, venturam adue-

aduocaret ætatem, & qualem deinde habere cuperet, à teneris edoceret. Quæcunq́;, itaq́; ad eum perueniſſent præcepta, non ſubſiſtebant in puero, ſed præcedebant virum: quæcunq́; mores attigiſſent monita, non deſerebantur in opere, ſed alebantur ad maturitatem: quæcunq́; conſilia, coram deliberaſſent, non deficiebant inter aures, ſed præibant, ſequentem ſalubriora. Hic ille, primùm aris accubuit, vt religionis integritatem ſecuturam mereretur: ſuperos inuitauit, vt Præſidia contra hæreſim aſſurgentem colligeret: ingenium explicuit, vt naſcentes perfidiæ dolos interciperet, labores vicit, vt hoſtes fatigaret. Hic, conſilijs Sectariorum interfuit, inſidias perſpexit, evoluit fraudes, fœdera confutauit. Hîc, excurſiones intercepit, inſtruxit acies, victoriam extorſit. Macte animi, inclyte Valeriane, ſatis in paleſtra, ſatis in vmbra certatum eſt. Permitte dignitatem tuam in publico creſcere, ne aut tanquam fortuita cotemnatur, ſi repẽte eruperit, aut tanquam incerta, iudicio laboret, ſi in priuato adoleuerit.

Præſtitit ſanè quod debuit, & pulcherrimo ſcientiarum virtutiſq́; comitatu conſpicuus, à literis, in Regiam ſe recepit. Cuius enim arbitrio, certiùs vitam probaret, quàm eius, in cuius iudicio, vniuerſorum occuparet ſuffragia? aut in quo melius Rempublicam pernoſceret, quàm in

Principe? Quoniam vero,ex inſtituto virtutis, leges vitæ dixerat, non ex conſortio rapiebat aliorum: nuſquam diſſimilior aulæ, quam in aula extitit. Non ille cum cæteris, patrimonio, luxum educare, non faſtum ditare auro, non voluptatem molitie alere, non opibus emere licentiam, ſed prudenti modeſtiâ, officioſaq́; Principis obſeruatione, virtutis æſtimationem ſuſtentare.

Hâc rectiſſimâ viuendi ratione, intra bonorum merita atq́; æſtimationem conſeruatus; cum multos apud Principem honores,multaq́; officia meruiſſet,Sacramento Sacerdotali, DEO Optimo deuouit vniuerſa:vt quâ gloriâ,virtutis conſtantiſſimæ, obtinuerat teſtimonium: eâdem, etiam virtutis præmium diſpenſaret. Atq́; hoc eſt, certiſſimum animi rectè diſpoſiti argumentum: honorem virtute mereri, collatumq́; apud eandem deponere. Secuta pulcherrimum factum, bonorum ſuffragia,Principiſq́; clarior approbatio: donec aucta Epiſcopatus Luceorienſis inſignibus, meritorum dignitas, in theatro honoris, palam ad venerationem exponeretur. Quam verò felicitatem, ab eo non promitteret ſibi Luceoria, cuius dignitas, nec fortunæ ſupplicauit, nec repentino aſſurrexit fauore, nec ſuffragantium captauit manus; verùm eruditione ac pietate in altum prouecta, ſublimem ſe, mortalibus exhibuit. Illuſtris,

di-

dignitate factus, eam pariter illuſtrauit, non tàm auctione honoris, quam maieſtatis nexu, & mutuæ dignitatis, ſuſcitatis incrementis. Semper nimirum, cognata Valeriano ſidera, natalem ſiderum retinuêre ſplendorem, idq; tantum ſublimioris culminis aſcenſu præſtitum; vt altius prouecta, illuſtrius, poſterorum exemplis, & publicis commodis, prælucerent. Quemadmodum ſol, quanto ſublimioribus coeli ſpatijs fertur, tantò maiori luminis liberalitate, vſum ſui, humano generi impertit: ita Valeriani virtus, quo altiùs conſtitit, eò radijs glorioſius diffuſis, non expectationem ſolùm, Regis ac Patriæ, verùm etiam admirationem perſtrinxit: vt exiguâ temporis morâ interiectâ, Epiſcopus Vilnenſis diceretur.

Damnatum me idcirco, poſterorum iudicia nolent, ſi in tanto virtutis curſu, tamq; ſublimi paſſu honoris, fatigata oratione, res præclaras, è commodo ſacræ Luceorienſis Prouinciæ geſtas, intermiſero. Faciam id equidem, ſed non faciet pariter Luceoria, dum enim ego, meritorum dignitatem adoraturus, in laudibus ſuccumbo: illâ grato animo, oratoris excipiet debilitatem, & poſteris, clara Valeriani facta, ex memoriæ fide recitabit. Verùm in Lithuania quoq; commorantem, aſſecutus Præſulem, tanta vi doloris, in ipſo prouinciæ limine corripior; vt ſubito calamitatis eius perculſus ful-

Principe? Quoniam vero,ex inſtituto virtutis, leges vitæ dixerat, non ex conſortio rapiebat aliorum: nuſquam diſſimilior aulæ, quam in aula extitit. Non ille cum cæteris, patrimonio, luxum educare, non faſtum ditare auro, non voluptatem molitie alere, non opibus emere licentiam, ſed prudenti modeſtiâ, officioſaq; Principis obſeruatione, virtutis æſtimationem ſuſtentare.

Hâc rectiſſimâ viuendi ratione, intra bonorum merita atq; æſtimationem conſeruatus; cum multos apud Principem honores,multaq; officia meruiſſet,Sacramento Sacerdotali, DEO Optimo deuouit vniuerſa:vt quâ gloriâ,virtutis conſtantiſſimæ, obtinuerat teſtimonium: eâdem, etiam virtutis præmium diſpenſaret. Atq; hoc eſt, certiſſimum animi rectè diſpoſiti argumentum: honorem virtute mereri, collatumq; apud eandem deponere. Secuta pulcherrimum factum, bonorum ſuffragia,Principiſq; clarior approbatio: donec aucta Epiſcopatus Luceorienſis inſignibus, meritorum dignitas, in theatro honoris, palam ad venerationem exponeretur. Quam verò felicitatem, ab eo non promitteret ſibi Luceoria, cuius dignitas, nec fortunæ ſupplicauit, nec repentino aſſurrexit fauore, nec ſuffragantium captauit manus; verùm eruditione ac pietate in altum prouecta, ſublimem ſe, mortalibus exhibuit. Illuſtris,

di-

dignitate factus, eam pariter illuſtrauit, non tàm auctione honoris, quam maieſtatis nexu, & mutuæ dignitatis, ſuſcitatis incrementis. Semper nimirum, cognata Valeriano ſidera, natalem ſiderum retinuêre ſplendorem, idq; tantum ſublimioris culminis aſcenſu præſtitum; vt altius prouecta, illuſtrius, poſterorum exemplis, & publicis commodis, prælucerent. Quemadmodum ſol, quanto ſublimioribus cœli ſpatijs fertur, tantò maiori luminis liberalitate, vſum ſui, humano generi impertit: ita Valeriani virtus, quo altiùs conſtitit, eò radijs glorioſius diffuſis, non expectationem ſolùm, Regis ac Patriæ, verùm etiam admirationem perſtrinxit: vt exiguâ temporis morâ interiectâ, Epiſcopus Vilnenſis diceretur.

Damnatum me idcirco, poſterorum iudicia nolent, ſi in tanto virtutis curſu, tamq; ſublimi paſſu honoris, fatigata oratione, res præclaras, è commodo ſacræ Luceorienſis Prouinciæ geſtas, intermiſero. Faciam id equidem, ſed non faciet pariter Luceoria, dum enim ego, meritorum dignitatem adoraturus, in laudibus ſuccumbo: illâ grato animo, oratoris excipiet debilitatem, & poſteris, clara Valeriani facta, ex memoriæ fide recitabit. Verùm in Lithuania quoq; commorantem, aſſecutus Præſulem, tanta vi doloris, in ipſo prouinciæ limine corripior; vt ſubito calamitatis eius perculſus ful-

mine, orationem ſimul collapſam, ad ſpiritum vigoremq́;, reuocare non poſſim. Illam enim, religionis ſacræ cultu, inclytam Lithuaniam, illam pietatis arcem, fideiq́; intactum ſacrarium, ſupra centum, aliquot ſectarum irruente in Poloniam turbine, raptari atq́; concuti, ingenti occaſus periculo, animo conſpicio. O abiectam pulcherrimæ regionis faciem, afflictamq́; conditionem! Indignum eſt, florentem Rempublicam, repentina turbari calamitate: quanto indignius, ſuauiſſimâ pacis voluptate auulſam, ſeditionibus armiſq́; conuelli? Impium eſt, ſacra maiorum intermitti, negligi religiones, inſtituta profanari: quanto ſceleſtius, aras, templa ac Sacerdotes, ipſum deniq́; propè Numen, prouinciâ exturbari? Magno nimirum fato, magna aguntur; & ingentes ruinæ, paruis ruderibus impleri non poſſunt. Ecce verò Vilnæ, proh dolor; in Principe Lituaniæ vrbe, accerbiſſimâ ſacrorum ignominiâ & fæderatæ impietatis, turpiſſimâ audaciâ, ante D. Ioannis baſilicam, patibulum infame ad profeſſionis Catholicæ ludibrium erigitur; tanquam extremo ſupplicio, religio & Deus mulctarentur. O mentes profligatas! tanti nè erat perire, ut publicum ſcelerum monumentum, æternitatis erigeretis deteſtationi? Melanchtoni quoq́;, à Palatinis quibuſdam, Petrus Gomonſkius Legatus mittitur, vt religionem Germa-

niâ

niâ aduehat; & quandoquidem, ipſa ſibi mendacia non conſtarent, incertis animis, certos errores, à famoſiſſimo impetret hæreſiarcha. Eo deniq; prouecta eſt ſceleſtiſſima amentia, vt ſacri oratoris authoritas, armis, quoties peroraret, obſideretur: montes ab eiectamentis vrbis, feneſtris baſilicæ D. Ioannis increſcerent: templis ſquallentibus & deſertis, luci, extra Vrbem, ad cænam Caluinianam frequentarentur: hæretici deniq; ſcelerum audaciâ, quam inuexerant perculſi; de libertate tam multiplicis religionis auferenda, coram Rege, in Senatu publico agerent.

At, ita ne præſentis gloriæ triumphum, reuocato ſquallore confundam? ita ne laudes, calamitoſis interpellabo ſingultibus? Solent præteritarum memoriâ tempeſtatum, ſerenari triumphi; ſolent accendi gaudia, decurſu lacrymarum; ſolent attolli animi, occaſu periculorum; nihilq;, adeò in ipſa felicitate magis oblectat, quàm miſerum fuiſſe. Quomodo tamen ruinas appellem, Valeriani meritis exæquatas? quomodo ſquallorem, Valeriani ſidere glorioſum? Labor ille, in aduerſis inuictus, illa pernox, in animorum excubijs vigilantia; eâ fortitudine impetum ſuſtinuit, ut, non ad iniuriæ tantùm pænitentiam, verùm etiam, ad melioris fortunæ ſtudia, temporum iniquitatem coegerit. Arduis irritatus, maior ſurrexit;

& diſpendia temporis, immortalibus commodis penſaturus, incuſſo prouinciæ, defectionis pudore, ad conſtantiorem fortunam, eam excitauit. Nec vinci religio poterat, quamdiu Valerianus ſtaret, nec ruere, quamdiu ſubleuaret

Ad huius vero nobiliſſimi belli præſidia, Socios quoq; IESV aduocauit: ſiue, ut hoſtilium copiarum turpitudinem, ex Germanis Bohemiſq; profugis congeſtam, clariſſimâ acie exprobraret: ſiue; vt mortalitate profunctus; hoſtes quos in uita profligârat, fato quoq; ſuo premeret. In hoc itaq; tam ſalutari opere, ad præſentis ætatis ſubſidium; tam illuſtri, ad ſubſequentis memoriam; tam neceſſario, ad omnium temporum felicitatem perpetuandam; non meruiſſe ſolum, ſed occupaſſe penitus immortalitatem, Illuſtriſſimus Antiſtes uidetur. Audeo, aliquid gloræ, promittere à monumentis, magnificè erectis; audeo à ſtatuis, magnificè inſtauratis; quia tamen, caduca hæc, viciſſitudinis fulcra ſunt, æternitatem conſtanter non ferrent: at, fædus ſacri belli, contra hæreticos pactum, copiæ collectæ, exercitus perennis prouiſio, non ſegnius, contra obliuionis iniurias, quàm contra religionis, agent deſertores. Succedent tardi, parentibus nepotes, nepotibuſq; præſidiariæ acies ſubſtituentur, in omnibus autem Valerianus dimicabit, in

omnibus vincet; quia ut pugnarent, vincerentq́; effecit. Quæcunque ætas, bella feret, quæcunq́; erudita arma tractabit, quæcunq́; hæreſim premet, premet autem omnis: nulla ſine Valeriani numine, atq́; gloriæ eius auctione, perfidiam oppugnabit. Immortalis, iniuriæ diuinæ vindicta eſt inſtituta, totaq́; æternitas prælijs impendetur: ne temporali pæna indulgentiam obtineant, æterni criminis rei. Quot viri literas ſtringent, quot calami libros ordinabunt, quot animi inſtruent acies, toties Valerianum præliantem, longa admirabitur æternitas. Nemo eum à gloriæ communione arcebit, cuius vicariâ poteſtate, res geretur ac fortunâ.

Magnum itaq́; profecto, & immortale opus præſtitit Valerianus, & neſcio magis glorioſum, an pium? Quem enim animum, in Deum ſuperoſq́;, ſanctiſſimum Præſulem geſiſſe arbitramur, cùm eius vitam, eripere fata potuerint, pietatem non potuerint. Exiguum duxit, tantum Dei causâ geri, quantum mortales permitterent vitæ rationes: niſi ultra vitam quæreret, quo breuioris fati, penſaret damna. Plus auſus quam mortalitas poſſet; plùs fecit, quam multi auderent. Vt pius ſemper eſſet, pietate quæcunq́; ſuæ ditioni ſubijcerentur, imbuit: & bona, à Republica, virtuti honoriq́; ſuo collata, ſummo conſenſu, ſacri Collegij Præſulum Vilnenſium tranſcripſit cælo: verius

ùs autem, Deum in terris debitorem fecit, ut in cœlis, obligatum inueniret. Quid, quod aliorum etiam pietati prouidit? quod vltra ſui nominis metas, ciuium ſalutem quæſiuit? quod fortunæ audaciam, ac viciſſitudines, in poſterum ſuſtulit? quòd, inquam, vniverſitate Vilnenſi inſtitutâ; vt cum pia tenerioris ætatis eruditione, virtus creſceret, & cum firmitate corporum, religionis robur augeretur, eandem Societati regendam fouendamq; addixit? Sentiet profectò, quiſquis rem altiori cogitatione aggreſſus fuerit, non vnius hic orationis materiam offerri: verùm tot ætatum merita, quot, Academia natales celebrabit: tòt, linguarum encomia, quot, eruditione inſtruxit, tot, gentium laudes, quot. inſtrumenta laudum ex ea deſumpſêre, aut accedent deſumpturæ.

Cùm enim hæc potiſſimum, cauſa extiterit, à qua infelicitas temporum exorta; hæc flamma, à qua libertatis ac religionis conflagratio ſuſcitata; hæc calamitas, ob quam vniuerſa Lituania confineſq; prouinciæ grauiſſimè vexatæ; quod literæ, in ijs partibus inuenirentur rariores: vindicatæ deinceps periculis; ereptæ incendio, liberatæ vexatione, nonne Valeriani memoriam, pulchræ pacis ſinu alent, reparatæq; beatitudinis fructu, gloriam eius cumulabunt? Obligari profectò prouincias, hoc grati animi ſtudio, non ciues tantum

agno-

agnoſcunt, verùm etiam exteri vrgent: atq; inter eos grauiſſimus rerum ſcriptor, idemq́, cultor humaniſſimus Poloniæ, Florimundus Remundus, cum hoc, maximum detrimentum, florentiſſimo quondam regno intuliſſe aſſerit: quòd bonæ literæ per prouincias, hæreſi affectas quærerentur. Multum præterea intererat, an licet pericula ab exteris,non inueherentur, alerentur tamen domi; cum è propinquo periculoſius agatur. Chriſtophorus quidem Hengedorphius, ad inſtituendam iuuentutem, Poſnaniam accitus, primus Lutheri dogmata propoſuit diſcipulis; quem collegæ ſecuti, peſtem animorum auxerunt. Quoniam itaq; & bonæ literæ inductæ, ut cederent uitia; & boni uiri adlecti, vt cederent vitiorum Magiſtri, vtrobiq; autem ſalus publica quæſita: nemo communem vitam cum eo non diuidet; qui communi bono vixit. Beatam demùm Lituaniam, in qua non Mars tantùm; uerùm etiam Apollo, publicè honoratur! Iniquum enim, arma quibus alienam vim arcemus, trophæis ſuſtentari, inferri templis, locari in Capitolijs: literas, quibus bella ciuilia reprimimus, quibus Religionis in Polonia, ruentis ſalus erecta eſt, extra curam abijci. Vtinam quamdiu armis erudiuit animos Lithuania, bonis quoq; artibus imbuiſſet, felicitate illibatâ,perpetuò beati;ſilentibus bellis externis, domeſtica mala, non ſenſiſſemus.

Glo-

Glorietur itaq; Auguſtus, Romam à ſe marmoream excitatam; pulchrius reſplendet, acies ingeniorum, ſcientijs à Valeriano expolita; & magnificentius audit, olim apud exteros inculta Lithuania, hodie, Valeriani beneficio patrona atq; hæres literarum.

Correcta eſt inertia præteriti ſæculi, futuriq; peccata intercepta: ac, ne inquietioris animi motus, deiectam tempeſtatem, iterum attollat; mentes, literarum præſidio munitæ. An vero literas, eſſe tutiſſima boni publici munimenta, cum omnium ſæculorum ſuffragia, magnificis ſtudijs; tum Principum noſtrorum iudicia auguſtis decretis; non ſatis clare comprobarunt? Vt intra ſæcula noſtra, memoriam contineam, Sigiſmundus Rex, verè Auguſtus, bonas literas, ab heroibus Poloniæ atq; Lituaniæ, cum ſocijs aduocatas, beneuolo ſinu excepit: Stephanus Battoreus, Rigam, Derpatum, Polociamq; eas intulit: Sigiſmundus III. Smolenſcenſi, Orſenſi, Vendenſi, Cracouienſi Collegio auxit. Vladislaus IV. vniuerſas ſingulari patrocinio, & approbatione complexus; Nouogrodeci ſedibus donauit. Verùm ego imbecillem aciem, ad tanta maieſtatis culmina erigere non auſim. Magnæ hæc fortunæ munia ſunt, coram Regibus, ac etiam de Regibus, ex dignitate diſſerere. Vulgo, cum à latere dignitatis arceatur; ſatis à longè ſpectatam maieſtatem.

pro-

prono vultu aderaſſe.

Ad vos ergo animum confero, ingentes animæ, magni heroes, patriæq; vindices, Staniſlae Hoſi & Andrea Noskowski quorum meritum, in approbatione Societatis, bonarumq; artium, vt æquaret Valerianus, ſecutus eſt exemplum, vt vero cum vtroq; vinceret, poſteris præripuit. Stanislaus nimirum Hoſius S. R. E. Cardinalis Eminentiſſimus, nec non illuſtriſſimus Antiſtes Varmienſis, vt quos Tridenti, in Senatu orbis, publicos hoſtes decreuerat; eos in Patriam redux oppugnaret: aciem nouam ex Italia, Sociorum IESV duxit, eamq;, quâ proximè hæreſis imminebat, Brunsbergæ collocauit. Primam hic eruditionis, pietatiſq; famam, ſuo ſæculo in Polonia obtinuit: quam vt cum poſteris diuideret, expreſſam in voluminibus literarum, reliquit. Societatem ſemel amplexus, ſemper ſuſpexit: eamq; *margaritam*, quâ nihil pretioſius in orbis nundinis, Tridenti vidiſſet; appellare ſolitus eſt. Dignus profecto vir, cui ea, vniuerſo ſui pretio, æternitatem mercetur. Illuſtriſſimus porrò Andreas Noskowski Epiſcopus Plocenſis vt Epiſcopatus ſui augeret reditus, collegium Societatis, Pultouiæ fundauit. Itaq;, in annuo cenſu, prouentum numerauit animorum; & non ſibi tantùm, verùm etiam cælo ditando ſuffecit. Quanta quanta Maſouia eſt, ad eam vniuerſam

me-

meritorum ſuorum amplitudinem extendit; cum ab hæreſi integram conſeruauit. Beatam prouinciam tanto Atlante! in quo, orbis religio præceps, ſubſtitit.

Prodeant etiam in faſtos, Illuſtriſſima cœli Lechici ſidera, Martinus Szyſzkowski, primùm Plocenſis, Cracouienſis deinde Epiſcopus; & Nicolaus Szyſzkowski Varmienſis Antiſtes; quorum alter; literas, authoritatem & opulentiam, ad Societatis nomen augendum conuertit: alter Szyſzkowianæ domus beneficia, nouis acceſſionibus, auxit. Martinus enim Szyſzkowski, eloquentiam, quam ex Mureto & Bentio, Romanæ facundiæ fontibus hauſerat; contra Equitem, Societatis calumniatorem, ſcriptâ Apologiâ effudit: authoritatem, quam legati Socius, apud Sereniſſimos Auſtriæ Archiduces ſuſtinuerat, ad collocandam Societatem Luceoriæ contulit: opulentiam, quâ magnificè ſemper vſus, aduocandæ Societati Plociam, oblatis cenſibus impendit. Illuſtriſſimus porro Nicolaus Szyſzkowski, erectâ Reſſelij Societatis Reſidentiâ, optimus nepos, maximi Antiſtitis, munificentiam impleuit. Accedit Illuſtriſſimus Præſul Poſnanienſis Adamus Nowodworski, qui vt publicam rem iuuaret, de auitis poſſeſſionibus, communi Religionis bono, Lomzæ Collegiũ erexit; & ne ſucceſſione à domino poſſeſſiones

de-

deficerent; hæredes immortales, vniuerſam Societatem, ac inprimis Deum fecit.

Quo verò honore producam, Illuſtriſſimum Nicolaum *Chriſtophorum Radiuilum*, Ducem in Olyka & Nieſwiz S. R, I. Principem, & Palatinum Vilnenſem? Debet ei Societas plurimùm: vnum queri poteſt, magnitudine beneficiorum eo ſe adactam, vt æternum deberet. Ille tamen, vt liberam ad poſteros trãsferret, perpetuis beneficijs debita auxit: & ut ſatiſdatum ab ea ſignificaret, Neſuiſij Collegio magnificentiſſimo locato, domeſticam fecit. Quid etiam de Illuſtriſſimo *Ioanne Carolo Chodkieuicio*, Palatino Vilnenſi, ſupremo, exercituum Lithuaniæ Duce, dicam? Fortiſſimus hic Imperator, vt bello defenſam patriam, pace ornaret, & immortale bellicarum virtutum monumentum, non ex bellicis tantùm trophæis, verùm etiam ipſis bellis erigeret; æternum belli Sacramentum, contra hæreſim inſurgentem, Societatis Collegio Croſis inſtituto, exegit. Vincit itaq; etiam poſt fata, nec hactenus â bello deſtitit, vt hoc merito, Lithuania audiat, Duces habere ſemper inuictos. Excepit dignitatem honoris, pariterq; affectum erga Socios, Illuſtriſſimus *Leo Sapieha M. D. L.* Exercituum Dux, Palatinus Vilnenſis. Cum enim belli, paciſq; clariſſimis artibus, ad eam magnitudinem merita

rita perduxiſſet; vt vltra temporum anguſtias porrecta, ad immortalitatis gloriam protenderentur; amplitudinem ſui nominis creſcere noluit, quin ſimul augeret Societatem. itaq; Breſtenſi Collegio inſtituto, eam cumulauit. Manum, qua Patriam ab hoſtibus fortunatiſſimè eſt tutatus, prius literarum exercuit patrocinio: quia magni Ducatus Cancellarius creatus, commiſſa ſibi, publicæ fidei munimenta, ſtabiliendis Academiæ libertatibus, impendit: vt non inter arma tantùm, fortis Leo, verùm etiam, inter Muſas, vigil; hoſtes terreret. Huius dextræ innixa Academia, immoto gradu perſtat: vt cùm in aliorum ſinu iuuentutem, in aliorum maturiorem literarum deponat æratem; ad Sapiehanæ manus beneficia, ſuam referat ſtabilitatem.

Proximus, officij reverentiâ, Illuſtriſſimus Palatinus Smoléſcenſis *Alexander Corvinus Gąſiewski*, vir bello & victorijs clariſſimus. Hic, quod ſuperùm præſidio in bellis vteretur, veteri manubiarum iure, bellorum opibus, Societati IEsv, Dineborgi & Vitepſci aſſignatis, ſpolia cū ſuperis diuiſit: atq; dū à recenti Moſchorum victoria, ad hæc ipſa trophæa augenda animum confert, aſſignatis operi vicarijs, ad triumphum, à ſocijs, eſt euocatus. Neq; Illuſtriſſimi D. *Petri Tryzna* Palatini Parnauienſis merita, permittet fama emori, funda-

mon-

mentis Bobroicenſis Reſidentiæ innixa! ſed neq; inanima tantummodo monumenta beneficiorum exhibebit; verùm etiam gratis officijs, pectora eriget; & animos obtinebit incolarum. Supereſt cæterorum ſatis, diuiq; ſuperſit vouemus, Illuſtriſſimus *Stanislaus Radiuilus* Dux in Olyka & Nieſwiż, S. R. I. Princeps, M. D. L. Cancenllarius, Collegij Societatis IESV Pinſcenſis fundator. Fruitur hic hodie poſteritate ſuâ, & inter gratos Societatis honores triumphat: vt cùm aliorum merita, producimus memorando, Radiuiliana beneficia, ſe ipſis perennentur. Quid? cum à prima ætate Societatis in Lithuania, nullo æuo, Illuſtriſſimæ huius familiæ, beneficia & fundationes ſint interruptæ; an non ipſa Societas illius perennitate quodammodo perpetuatur? Spondemus ô Principes Illuſtriſſimi animum: & quemadmodum nulla præterijt, nullaq; eſt ventura ætas; quæ nos abſoluat beneficiorum debito: ita nulla intercedet, quæ grata interrumpat ſtudia. Quemadmodum enim aquæ fontium, licet perennitatem aliundè non mendicent; eoq; fortunatiſſimè fluant, quòd interlapſæ agris, fertilitatem quam conferunt, inuicem non recipiant: ad beneficij tamen memoriam, à viatoribus coronantur: ita Illuſtriſſimæ familiæ veſtræ, munifici fontes, quamuis ſua fortuna, ſibi alijſq; ſufficiant; no-

ſtrum tamen admittent obſequium; non ad ornamentum dignitatis, ſed ad beneficij teſtimonium. Suſtinebit deniq;, Magnifici *D. Ioannis Moſzynski*, nobiliſſimam gloriam, Novogrodeci inſtituta fundatio, & nè immemori ſuccumbat tempori, conſtans memoria laborabit.

Non aberraui, ab Illuſtriſſimo Antiſtite Valeriano, per tantam ſeriem, clariſſimorum virorum digreſſus, ſed in cuiuſuis facti ſimilitudine, præſentem aſpexi; atq; oratione nobiliſſimos heroas præteruectus, & literarum ab illo inſtitutarum dignitatem ornaui, &, vt ad ſupremum pietatis eius admitterer monumentum, impetraui. Quis enim, uniuerſa virtutis argumenta, orationis anguſtijs, includere præſumat? Obverſatur animo, auguſta Cathedralis Baſilicæ Maieſtas; ſacro oratore, à Valeriano inſtructa: at auguſtior hæc vox eſt, quâ olim Epiſcopus & ſenator vſus, quàm vt à priuato, laudibus excipi poſſit. Occurrit munificentiſſimæ pietatis liberalitas, quâ aſſignatis cenſibus, literarum pauperiores alumnos, perpetuo alit: verũ in tot mortales diuiſa beneficia, latiùs ſe pandunt; quàm vt breui ſermone adſtringantur. Atq; hæc ipſa quamuis magna ſint, maiora tamen ſuperſunt. Quæ latera, præter periculum vires ſuas expediant, vt publicis Valeriani curis ſe ſubſternant?

quæ animi vis, adeò ſorte pectus offerat, vt inter labores, animis ſalutares exantlatos, non defatigetur? quòd mentis lumen, adeò conſtantem tenacemq; aciem, intendat; vt inter eximia pietatis eius opera, ornandis cumulandiſq; ſacrorum honoribus impenſa, non hebeſcat ac deficiat? Præterire tamen ſine applauſu & acclamatione non poſſum, pietatis typum, ſanctitatis exemplar, magnanimitatis ſtatuam, Valeriani inquam imaginem: quam ſupremo amoris ergà Societatem argumento, apud ſocios Vilnenſes depoſuit: vt cum ijs ſemper uiueret. Quod enim deſiderium, dulciſſimo facto, præfixum arbitramur, præterquam perpetuam illius, ex vſu noſtro voluptatem: perpetuumq; ſociorum, ex præſentia eius, & conſpectu, gaudium. Abſoluiſti, Parens & Præſul optime, ſæculorum curas ſolicitudine, ne cum tibi plurimum deberent, quid potiſſimum præſtarent, quærerent diù: cum in imagine, expreſſa deſideria, poſteris porrexiſti. Obligamur igitur, ex uoto tuo, noſtroq;, ad hoc grati animi teſtimoniũ, vt quandoquidem, religioſæ virtutis domiciliũ, à te extructum, immortalitati tranſigendæ elegiſti, nos, curâ ſtudioq; communi, ne animis noſtris atq; memoriâ auellaris, contendamus.

Intuebimur eodem penicillo, quo tuum vultum, præteriti ſæculi, æuum expreſſum; tuoq; beneficio, ætati quâ longiſſimè abſumus,

immiſſi; maiores noſtros, teq; intra eos, auguſtiori, formæ & Virtutis dignitate eminentemq́; ſpectabimus. Ac modo quidem, auguſtum *Sigiſmundi* Senatum ingreſſi, numina illa Poloniæ, purpuratum Hoſium, palliatumq́; *Noskowski* Tecum; hæreſim grauibus ſententijs, mulctantes audiemus: modo mitiori conſilio collectis, & de Societatis laudibus differentibꝰ; venerabundi aſſiſtemus: modo in publicis conuentibus, roſtris, atq; templis, contra perfidos fulminantibus; non tacitâ voce, ſed publica gratulatione applaudemus. Quoties præterea, diuina acies oculorum tuorum, noſtrum obtutú perſtrinxerit; occurret prima lux, quâ Lithuaniã aſpeximus: occurret nobiliſſimus olim in Lithuania vates, Palatinus Vilnenſis Niger; idemq́; Caluini ſectator acerrimus; qui, cum tanto concurſu, Socios ambiret populus, vt vectigalia ijs imponerentur, & plebs apud nobilitatem confertiſſimam, acceſſum emeret; illachrymatus exclamauit. *Atqui hi nos, ex vrbe exturbabunt.* Et ſuperi quidem, vt merita tua coronarent, ſæculari anno Societatis, exercitium religionis Caluinianæ, Vilnâ, interdictis Reipublicæ excluſerunt: nos quemadmodum tuis auſpicijs, ad initiandam hodie proceſſimus immortalitatem, ita deinceps eandem, tuorum meritorum grato cultu, promouebimus, perenniq́; obſeruatione excolemus.

PA-

Panegyricvs

In laudem Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini D. Georgij Tyſzkiewicz, tunc Samogitiæ Epiſcopi, ex Vrbe reducis. 1641, *nomine Collegij Croſenſis. S. I.*

Quis nouus iſte dies? Totis infunditur orbi,
Lux facibus; ſeſeq; aucto mirantur in igne
Sidera;& accenſis Samogitia fulgurat aruis,
Cedite fatales, ſub tanto lumine noctes,
Et pauor, & cæcis errantes paſſibus horæ.
Vſq; frui iuuat, vſq; peti, ſine nube ſerenum,
Continuoq; dies per gaudia ducere plauſu.
Non rudis hic ſplēdor, nō hæc vulgaria flāmæ,
Signa lego; magno iactant præſagia mentem
Omine. Cauſa latet. Lateat; ſed mole laborat.
O Ciues, ô cura Poli? num præfuit olim
Ætas, quâ tantis arſerunt ſidera tædis
Promite? narratis ne Patrum, vel lege tenetur
Par meritum cæli, par noſtræ gloria terræ?
Exoluat fortuna fidem, ius dicite, Culpa

Eſt,

Eſt, meritum tacuiſſe ſuũ, dum publica vocẽ
Res ſoluit, mutumq́; iubet perrumpere pectus.
Neu tãtus ſine laude fauor, ſine numine tantũ
Se donet prohibete decus! ſolennibus aræ
Aſſurgant feſtis, & docto gloria cultu.
Ecce coruſcanti, quâ uaſtum cardine cœlum
Panditur, ingentis moles patet amphitheatri,
Auditurq́; chorus, cantuſq́;, metrumq́;, lyræq́;,
Et fractâ reſonat diſcors concordia voce.
Ipſe Pater medium ſcenæ complexus Apollo
Occupat, illuſtri diſponens gaudia vultu.
Ipſe lyrâ, vincitq́;, ſuâ, vincitq́; canendo
Ipſe lyram: quâcunq́; volet mirabilis arte.
Materies cantus, bona verba impendere luſtris
Et celebrare nouum lumẽ, mortalibus ortum.
Aude anime! & ſocias tantis adiungere laudes
Laudibus, & Superûm fidei, committere, curas
Fatorum, quid luce ferant, quid ſidera condant:
Sit ſatis, hoc placuiſſe Polis; laudemq́; mereri
Cœleſtem. Grauibus momentis aſtra triũphãt.
Splendeat ignauis non intercepta tenebris,
Lux hoſpes, cœloſq́; diu terraſq́; ſerenis
Exhilaret vultûs facibus, ſeu filia Phæbi,
Seu ſoror eſt, ſeu illa Parens, ſeu hoſpita cœli
Proceſſit maiore domo, memorabile magni
Numinis inuentum, laus ingenioſa creantis.
Felices terræ, quibus hæc fortuna refulſit,
Et quibus excurrens, ſe noſtris intulit oris!
O pulchrum cœli decus! ô regina dierum
Si-

Siſte facem quæſo terrarum te ſuperadde,
Splendori, liceat demum te ferre beato
Aſpectu, liceatq; frui velamine pulſo.
Iam precibus cedit, iã pulchrã Cynthia frõtẽ
Prodit, & auguſtam media inter cornua ſtellã.
Lumẽ habet duplex, duplici ſed lumine maius
Lumẽ habet; magnũ ſuſtentant brachia Phæbũ.
Agnoſco vultus, Diuinaq; Præſulis ora
Tyskievij, Diuaſq; manus, & pectus anhelum
Numine, Romanis quod magnus ſpirat ab aris
Vrbanus. Noſco maieſtatemq; ſerenam,
Immenſumq; decus natali lumine partum,
Candida enim claros impendit Cynthia currus
Hæredemq; vehit, per Patria ſtemmata Regem;
Et quocunq; vehat, reduci populusq;, Patreſq;
Applaudunt, multo laus pectore, militat vni

ET verò, quid ni vniuerſa Samogitia, ſuſceptis pro tuo aduentu votis, in gratulationem proruat, Antiſtes Illuſtriſſime: cum laborantia expectatione deſideria, in præſentiæ tuæ conſpectu, conquieſcant. Ille ipſe, pulcherrimus magnæ mentis impetus, qui te, glorioſiſſimis ſtudiis, Romanæ vrbis inuiſendæ prouectum, oculis Samogitiæ ſubduxit; animorum quoq; noſtrorum impulit affectus: vt cogitationes tui cupidas, per deſideria, te comitatura expediremus: totoq; tempore, quo à no-

à nobis abeſſes tecum peregrinaremur. Itaq; cum te nobis reſtituiſti, nos nobis reſtitutos eſſe gaudemus, tibiq; nouo beneficio obligatos. Diem verò illum, ſuſcepti à te pucherrimi operis auſpicem, noſtrorum animorum teſtem! quantis tum encomijs meritorum tuorum, ad te comitandum populi contenderint? quàm concordi ſignificatione voluntatum, per inclyta virtutis, dignitatiſq; tuæ decora, ſe prouexerint; quo ardore animi, contra fatorum audaciam, & aduerſos itinerum euentus, decertarint? Quamuis enim, ſupra fortuitos caſus, dignitatis tuæ magnitudo conſiſteret; ad tam ſublimem nihilominus felicitatis gradũ, animos erigere, ſine metu, non poteramus: vt cogitationes etiam noſtras, non ſolùm fortunam, tranſcenderes. Cum id tibi optaremus, quod merebaris: optare, quantum debuimus, imbecillitate noſtra depreſſi, non poteramus. Ignoſces igitur animo, magnitudine tuâ laboranti, & fortunam, quam in proſpero reditu, vniuerſi adoramus, intra virtutis tuæ monumenta, annumerabis. Iucundum enimuerò, & magnificum ſpectaculum, ciuibus tuis redux exhibes, nullis caſibus dignitatem concuſſam, nullis fatigatam periculis. Itaq;, in fortunatiſſimo reditu tuo, non tantum timidum illum amorem, admiratione præſenti damnamus; verùm etiam admirationem ipſam, ita di-

diſtinguimus: vt cum eandem ab aliorum fortuna deſcendentem attoniti exceperimus, à tua præſentia erumpentem, propter virtutis maiorem claritatem, vniuerſam ad lætitiam transferamus. O beatam lucem quæ nos præſentiæ tuæ lumine recreauit! ô aurea ſidera, quæ nobis reuexiſti! reuexiſti dico? Quæro verbi dignitatem, quâ lætitiæ par aſſurgam, nec reperio. Verius tamen aſſeram, te animis noſtris inuectum, cum illos per affectus ſubires. Neſcio profectò, an cuiuſpiam glorioſior ad ſuos fuerit reditus? Multi faſtu maiore, multi ãpliore apparatu, at nemo ſinceriori honore, exceptus eſt. Nam, quod in aliorum ſalutationibus, noctes ſint facibus fractæ, quod viæ, triumphali arbore coronatæ, quod prouinciarum Vrbiumq́; portæ, in arcus contractæ; habet hoc aliquid gratiæ in oculis, nihil in animis: nam & illi ignes, fumoſas ſæpe ſpirabant blanditias; & ſerta, adulationem inuoluebant; & portæ, non magis arte, quàm metu contrahebantur: at, te Samogitiam tuam repetentem, interno ſenſu vniuerſi cinxerunt, lætitiam ſuſcitarunt in applauſum, animos in theatra erexerunt. Tradunt faſti Heroum, Iulium Cæſarem, Orbis, vrbis, atq́; ſui demum clementiſſimum victorem, plurimum gaudere ſolitum, ſi eorum, quos obuios haberet, oculi, ad aſpectum ſuum, non caligarent: quod ſe

Vi-

victorem haberi nollet, niſi de animis ciuium triumpharet; & Imperatorem non agnoſceret, niſi ſubditi, amoris penderent tributum. Fortunatum Cæſarem, ſi cum ſumma laude humanitatis, parem apud ſuos amorem inueniſſet! verùm quoniam non ſentiunt imperium, quod ſpontè non ſuſcipiunt animi, fortunam, armis hoſtium illæſam, ira domeſticorum euertit. Et huius quidem modeſtia, uicit, impotentem animi Macedonem, qui à nullo ſe ſalutari patiebatur, ab omnib9 adorari cupiebat: eſt enim procul dubio, pulcherrimum victoriæ genus, atq; ſupremum, ambitionem catenatam in triumpho humanitatis oſtentare. Tuæ autem virtuti Antiſtes Illuſtriſſime, cedat neceſſe eſt vterq;. Iulius quia non meruit; Alexander, quia noluit amari. Et amas amari, & mereris: quorum alterum, pietas tua præſtat, alterum, dignitas cum humanitate poſtulat. Quòd verò affectus noſtros beneficijs tuis, publiciſq; curis, obligatos, ita ſuſcipis; vt tuos inuicem impendas; quod ad aures tuas, animumq;, vota pro incolumitate tua fuſa, ſine controuerſia admittas: quod tuo optatiſſimo conſpectu, frui patiaris, dicam ne maioris humanitatis, an liberalitatis ſit? Tu uulgares animos, Præſuleâ dignitate, ad ſolatium eorum inclinata, ſine munificentiæ laude erigas? Tu rudes ſermones, applaudentis populi, ſine au-

ctione elegantiæ,eruditiſſimo genio approbes: tu humiliora capita, ſacro vertici aſſiſtere,ſine magnitudinis incremento, permittas? Ad magnificentiam profectò, hoc donatiuum gratiæ tuæ, vltra liberalitatis terminos effunditur: tantò maiori æſtimatione ſuſcipiendum; quantò minori merito acceptantium, impenditur. Tu tamen, cum cæteros munificentiâ viceris, victoriam apud te non computas,niſi te ipſum vincas. Ei enim qui alios præceſſit,nihil reſtat, præterquàm, vt ſecum certamen ſuſcipiat. Sæpius itaq; cenſum dignitatis tuæ, inſtituere conſueuiſti, vt ex eo opes, pauperum turbæ annumerares. Vidimus non raro, atq; admirati ſumus,limina tua, ædes,latera, egentium, uiliumq; animarum, turmis obſeſſa. Vidimus Præſuleam dignitatem, afflictis miſerorum rebus leuandis, ſeſe ſubmittentem. Vidimus ſacræ tuæ facundiæ aureum os, Chriſtianæ religionis elementis, rudi populo explanandis, occupatum. Facis id ſanctè, facis magnificè Præſul. Quid enim ſanctiùs, quàm beatitudinis perennis, meritis aliquem donare? quid glorioſius, quàm in animis excultis, immortalia beneficiorum erigere monumenta? Nemo dignitatem, humilitatis vſu, atteri queratur; nemo maieſtatem, amoris inſignibus deprimi, nemo æſtimationem,beneuolentiæ minui communicatione. Ita omnibus excellis,

ita te impendis; vt illi, beneficijs tuis creſcant, tu, nullum magnitudinis ſubeas diſpendium. Tuæ igitur virtuti Plinianum illud ſubſcribo: *Scis vbi vera, vbi ſempiterna ſit gloria, vbi ſint honores, in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil ſucceſſoribus liceat. Scis quia contemptor ambitionis, & poteſtatis domitor, ac frenator animus, ipſa vetuſtate floreſcit.* Hac nimirum ſola ratione, magni creſcere poſſunt, ſi ad commoda inferiorum, ſe demittant. Non ſequerer, Marcum Aurelium Auguſtum ſimilitudine quadam tuæ humanitatis, ad ſe inuitantem; ſi in eo, exemplar tuæ pietatis quærerem: cum ille ſis, qui exempla, non colligas ex alijs, ſed illis præpares: verùm quoniam ad confutandam arrogantiam ab hoc genere familiaritatis abhorrentium valet; non inuitus, te annuente deſcendam. Iano, dies ſacer erat, cum Aurelius, Imperatorijs conſpicuus ornamentis, nullo comitatu, medium ſe captiuis permiſcuit: vt veſtis eius attactu, tanquam Numinis quodam afflatu, è vinculis ſoluerentur. Intelligant hoc velim, tuoq; & Imperatoris exemplo, diſcant humanitatem illi, quos, cum natura omnibus pares progenuiſſet; fortuna, ſupra aliquorum ſortem extulliſſet; cœlum maieſtate fingunt, & quædam veluti numinum idola, Cyri Perſarum Regis, fabrilibus dijs perſimilia, perpetuis terras inuoluunt tempeſtatibus;

mortaleſq́, ab acceſſu, fulminibus continuis arcent. Non fouetur authoritas, ſuperbiâ, ſed premitur; & feralem vultus habitum, cum gratiæ deſeruerint, parcæ inuadunt. Quiſquis ſe magnum putat, nec vlli, de magnitudine ſua communicat, quin minuatur; nondum ille ad ſummorum virorum ſublimitatem excreuit: quorum proceritas, vmbram alijs & quietem præbet, nullâ ſui iniuriâ. Seruent igitur alij, clauſam ſeris dignitatem, nec vnquam ad cæteros niſi ſub horrido vultu efferant; tua, in publico manet integra, manebitq́; maieſtas. Hæc ſemper præſtes, hæc audies: *Amor omnium, deſiderium publici* affectus, digna tua virtute, fortunatiſſimaq; nomina. Fiet id equidem, totaq; poſteritas tibi, amando nobiſcum obligabitur: cum & memoriam, à nobis acceptam ſucceſſione affectus inſtaurabit; & publicis meritorum tuorum monumentis, eandem confirmabit. An enim hæc beneuolentia tua, omnibus patens, non meruit, vt cū tu, nullum eius modum facias, niſi quem noſtra necceſſitas impoſuerit; nos quoq; nullum eius encomiorum ſtatuamus finem, niſi humani generis? Quid vigilantia, adeò latè excurrens, vt vniuerſos ſtudio ſuo complectatur? quid pietas in ſuperos, ita ſacrorum ædificiorum ornatu exculta; vt cœlites etiam, officijs obligarit? Quàm gratum, quàm amabilem te

po-

poſteris exhibebunt? Quæ ætas, illi, non ſummè afficietur, in cuius ſinu, & beneuolentiâ, ſui curas, antequam ipſa exiſteret, requieuiſſe cognoſcet? quæ tempora, illius recordationem non fouebunt? cuius beneficio, factum eſſe ſcient, vt felicia naſcerentur? Connexus eſt ordo ſæculorum, vt benè procuratis, bona, ſanctis ſancta ſuccedant. Itaq; noſtræ ætatis, integritatē, vigili conatu aſſerendo, ſuccedentem quoque, ſimul curas, atq; in noſtris periculis, ſequentia pericula, in noſtris morbis, ſequentes morbos, enecas. Dubium non eſt, mores quoq;, cum hæreditate tranſumi; & vitijs paternis tabeſcere, virtutibus florere, poſteritatem. Inter cæteras tamen peſtes, nulla repe- ritur, quæ aut latiùs aut periculoſius ſerpat, quàm porrecta à maioribus hæreſis. Conſequitur eam, ignaua mentis labes, turpiſq; voluptas; & tandem, non ſolum vitia non timentur, verùm etiam amantur. Arborem fert India, Enſada dictam, fila quædam tenuia, terram verſus, è ramis propagantem: hæc vbi radices trunci attigerint, occultà quâdam vi, adeò fortiter iiſdem connectuntur; vt conatu nullo diuelli poſſint; quod ne accidat, maturè ab incolis præciduntur. Ecce, elaboratum, naturæ artificio, hæreſeos ſymbolum. Ad terram, per licentiam ſcelerum fertur, hauſtoq;, a radice veneno, ita cum ea coaleſcit; vt non huma-
nâ,

nâ, ſed diuina vi opus ſit, ad eam conuellendam. Senſit hanc diuinam virtutem tuam, vicina Samogitiæ Curlandia: ſæpiuſq; attonita ſuſpexit, multos nobilitate inclytos, maiorum ſtudioſiſſimos, ad religionis orthodoxæ cultum à te pertractos. O Præſul! ad mortalium felicitatem nate,quæ hæc ratio beneficiorũ, quis modus,quàm admirabilis induſtria,vt nihil,etiã priuatis conferas,quod non ad publicũ bonũ ſe extendat.Hoc enim ipſum factũ, quod ad aliquorũ tantũ commodũ directum videtur, duas ingentes Prouincias, Curlandiã & Samogitiam,beneficio obligauit.Conclamabatur ſæpius, ſupra Samogitiam,

- - - iam proximus ardet.

Vcalegon - -

timoreq; concuſſi, ne vicino igne deflagraremus; expaueſcebamus. At tu,cœlitus bono noſtro datus, flammas reſtinxiſti propiores, atq; te oſtendiſti,te Præſule,non modo periculum, à nobis eſſe alienum; verùm etiam, vbi incendium conſtiterat; ibi ſalutem ſedes fixuram. Itaq; ſimul nos ſervaſti, & ſaluaſti alios. Imò, æternitatem, ſimul es complexus, ſummisq; meritis impleuiſti. Cum enim hæreſis, ſit virtutum hoſtis,prouinciarum peſtis, Dei contémptrix; tu qui eam enecas, extirpaſq;,nonne perenni laude, ſanctitatis Patronus, Numinis vindex, patriæ ſalus audies? Eò verò, illa turpior

pior, magiſq; deteſtanda, deinceps videbitur, quia tanto iudice, eſt condemnata: eò fortius à multis oppugnabitur, quia tanto duce, bellum eſt ſuſceptum. Augebis animos memoriâ, quos exemplo infudiſti: vires imitatione, quas operis gloriâ accendiſti: auxilia virtutum dignitate, quâ vitia oppugaſti. Effrenis hæreſis, audaci licentiâ, in căpū proruet? ad tuæ ſanctitatis normam, procuratam vitæ integritatem, illi opponent. Ab imbelli natura, devictum animum, in triumpho vitiorum oſtentabit? Præſulis ſui, aſſumptâ ſanctitate, iſti ſe tuebuntur. In illorum igitur caſtris, opum amor, corporis luxus, dominandi cupido, credendi pro libitu, faciendiq;, quicquid placuerit, ſcelerata libertas: in tuis, cœleſtis egeſtas, temperans moderatio, humilis poteſtas, certa, cœlorumq; fide firmata religio, cōnſpicietur. Arma enim tua, quibus hæreſim, & vitia fortiſſimè inuadis, fortunatiſſimè vincis, non alia quàm virtutem agnouimus. Diuini cultus amor, gladium, pietas, ſcutum miniſtrat. Idcirco, qui mores tuos è propinquo conſiderant, virtutis quādā imaginē in te expreſſā agnoscūt; ipſiuſq; vitæ argumentis, ad religionis ſanctitatem cognoſcendam, perueniunt. Expugnas animos aſpectu, contumaciam autem perfidiæ, virtutis conſtantiâ, frangis. Gloriare ô Samogitia, æternitatiq; manda! Præſulem tuū, non

ſtam-

flammas, ex perturbato grauiter animo, (quod laudi multorum tribuitur) voluere: non tetro pallore, tenebriſq; ora opplere: verùm cœleſtibus virtutum coloribus, vniuerſa vitæ facie illuſtrata, animo diuinos ignes afflare; & deſcendentibus liberè, ad ueritatis cognitæ imperia, palmas immortales inſerere. Nondum ego hic Præſul maxime, tela illa tua ignea memoro, quæ cum vibras, attoniti ad impetum hoſtes hærent; quibus cum feris, per vulnera, ad ſanitatem mentis perueniunt. Præſuleum arbitraris, vt plus poſſe omnibus, ita plus ſcire: nec anguſtioribus limitibus literas, quam dignitatem circumſeribis. Quamuis autem, in vniuerſam ſcientjarum poſſeſſioné, te immiſeris, ea tamen profundius ſcrutaris, quæ ad religionem ſpectant, & profanis, cultores ſui excipiunt. Sacrarum ſcripturarum, Sacrorumq; procerum ſcientia, tam glorioſâ concordiâ in te eminet; vt non multorum ſed tua eſſe videatur. Nuſquam tamen magis excellis, quàm cum pro more tuo, vt alias virtutes, ita hanc ad aliorum vtilitatem demittis; & vt plus proſit, ad populum eloquenter tranſfers. Rapit animum vtraq; in admirationem, vtraq; in amorem; & cum de animis noſtris triumphant, ſecum de gloria certant. Cum enim eruditio, rerum ſublimium arcanarumq; apparatu, in ſe oculos conuerterit, eloquentia, liberaliſſima

aurei oris facundiâ aciem reſtingit; nullo alterius damno, ingenti vtriuſq; magnificentiâ. O felix eloquium, quod orbem renouat! & grauiſſimâ Eccleſiaſticâ dicendi authoritate, non auditores tantùm, ad virtutem, ſed orbem, ad exemplum vetuſtiſſimorum ſæculorum excitat. At, auſim ego vocem in laudes attollere, vbi uox tua, pro te perorat? taceo. Loquere Antiſtes Eloquentiſſime. Erigunt aures prætetita ſæcula, & ſe in noſtro conuentu contemplantur: aſſurgunt animis, omnium affectus, & te quo vocas ſequuntur. Vellem hîc equidem, vellem quâ poſſum gloriæ contentione, de te loqui, & cœlo deuotam vocem tuam, aſtris inferre: vellem, te maieſtate ſacri vultus conſpicuum, tiarâ inſignem, Pontificali ſceptro reuerendum, ſermonis copiâ dignitateq; admirabilem, in oculis vniuerſi ſtatuere: verùm infelicitate ingenij depreſſus, ferendo non ſum. Delectat vſq; tamen, reuocata dierum illorum maieſtas, quibus magnos illos Ambroſios, Auguſtinos, Chryſoſtomos, Baſilios, Gregorios, nobis in te ſpectandos exhibes; & mentes anhelas, ingenti comples numine. Quid non perſuadeas tuis, optime Præſul? quo voluntatem non inflectas? Exemplo præis, verbo excitas, exemplum ſequimur, voce ſuccédimur. Aliud, ne vitijs adhæreamus; aliud, vt virtuti conſtanter incumbamus præ-

ſtas;

ſtat; vtrumq́; vt te admiremur. Addant tibi ſuperi, de eorum annis, quorum ætatem beatam facis, quos ad vitæ ſanctitatem inſtituis, immò quorum ipſe vita es. Liceat autem, liceat obſecro, à te quærere, vnde verborum poteſtas, quâ audientes percellis, & ad obſequendum, duriſſimos permoues? ſcimus enim, obſtinati in vitia animi, adamantina mole, duriorem eſſe contumaciam: vt motor animorum, aut Deus neceſſe ſit, aut Deo plenus. E cœlo igitur, hos ignes eſſe, quibus ſcelera exuris agnoſcimus; cœleſtem animum, cœleſtes opes, quas in nos effundis, profitemur. Hæ te produnt flammæ, quæ nobis profunt; hæc lumina, quæ virtutes illuſtrant; hi ſoles, qui vmbram non patiuntur. Non nè etiam lunam è gentilitio ſtemmate acceptam, ſtellaſq́; geris in pectore, vtiq́; clariſſimas cœlorum faces, atq́; publicas? Quid vſus, matutinarum precum decantandarum, per Samogitiam vniuerſam, à te præceptus, quàm nobilem, argutumq́;, ſe ducem præbet, ad pietatis tuæ arcana pernoſcenda? Præuenis tamen, alijs ſtata tempora, & tuis primum diem, tibi etiam noctem indicis: vt euigilaturis, lucem exceptam, eamq́; Deo ſacram impertias. Ita, tempora cum cœlo, in vſum hominum diſpenſas, & neſcio quid maius homine facis, cùm dies aduentantes, diuino Numine præoccupas. Quid ad

te pertineant, querelæ Romani ſapientis, *magnam partem vitæ elabi, male agentibus, maximam nihil agentibus, totam aliud agentibus.* Ne vitientur, dies exortos pietate imbuis; ne auferantur, religione intercipis; ne fallat coelo additis. Alij, ortu ſolis, tempora metiuntur; tibi, tua pietas diem inchoat, atq; claudit. Macte præſul hâc ſanctiſſimâ induſtriâ, quâ immortalitatem in vita paras. Nullum tempus apud te præterit, nullum alienum fit, ſed omnia, virtute incluſa, perennitatem ordiuntur. Itaq; illa quæ à maioribus cum ſanguine ad nos perueniunt, cerarum fulgor, antiquitatis authoritas, imaginum dignitas, quamuis pulcherrimis vitæ ornamentis conſtent; imò tantis, vt ſæpè poſterorum vitia, ſub vmbra gloriæ paternæ, ſine infamiâ latitent: tuis tamen adiuncta inſignibus ſuperuacanea videntur. Tibi nè immortalitatem à vetuſtiſſimo Illuſtriſſimæ domus genere quæram? qui eam, ſi non inueniſſes, feciſſes; & cum inueniſti, perfeciſti. Tuisne atrijs, imaginum pompam appendam? qui, nobiliſſimas maiorum formas, expreſſione virtutis in te collegiſti. Quis eſt in vniuerſa Samogitia? cuius aciem *Tyskieviciana* ſidera non perſtringant? Habet hæc equidem domus, tot tantaq; bello & pace parta decora, quæ cum Principibus familijs ex æquo numeret: ſed quia hanc ingentem licet laudis materiam, ſanguis

idem

idem communem pluribus fecit. Tuus me cultus ad ea, quæ magis tua ſunt, rapit. Rapior ad illa marmora, quæ, tua munificentia, vultibus Diuorum animauit: ad illas aras atq; ædes, quibus, cœlitum ſupremiq; numinis honores, magnificè cumulaſti. Videris de ærario tuo, aut cenſum ſuperis aſſignare, vt cœlum merceris: aut ſtipendium numerare, vt patrocinium merearis; aut vtrumq; ut obligeris, obligeſq;. Quanto illi, à tuà magnificentiâ, diſtant interuallo, qui auream fortunam, ingentibus opibus conflatam, domi colunt: indigni ſorte & fortunâ; cum nihil ſit turpius, homine ſplendido, & ſordido. Quantum inter tuum decus & illorum intereſt: qui diuitijs luxum emunt, cui ſe vendant; rei auaritiæ & prodigalitatis, quòd ſe perdant, vt vitia acquirant. Quantus tu, & quàm conſpicuus, inter magnos illos maiorum noſtrorum ſpiritus; eminebis Præſul Illuſtriſſime, quorum conſortio, factorum imitatio, te immiſcuit: cum damnato poſterorum luxu, ex maiorum more, poſſeſſiones tuas, cœli vectigales facis. Nec deficit tua in ſuperos largitio, nec expenſæ ſemel oblatæ, quaſi perſolutâ munificentiâ, conſiſtũt: verùm dediſſe, initium fit, ſæpius dandi. Eoſdem etiam hac munificentiæ ratione exprimis, quos colis: cum beneficia, quæ ab alto veniũt, ita mortalibus dentur vt non tam præmium meritorum, quàm pignus

ſe

ſequentium munerum, ad nos deſcendant; & ni viam occludamus, ſe mutuò conſequantur. Vide autem quantū tuo honori addideris, cum alieno laborares. Præterquam, quòd diuos in comitatu & præſidijs tuis numeraturus ſis: de humanæ etiam poſteritatis grato ac memori affectu ſecurus eſto; quia eum, apud ſuperos promeritus es. Cedent tibi, in arcus perennes templa, in pyramides tranſibunt aræ, in coloſſos ſtatuæ, in æternitatis penſum, templorum prouentus: quos ne gratis ſubſequens fama laboraret, perpetuos aſſignaſti. Ab illorum autem ſtudijs, maximè hæc cura, exercebitur: quorum commodis, ſecundùm diuorum honorem, te impendiſti. Nunquam, illa ſacra limina, niſi per veſtigia tuæ pietatis adibunt: nunquam, Deo dicatas aras frequentabunt, niſi tuæ beneficentiæ, impreſſas plantas, exoſculentur: nunquam, beatas ædes inuiſent, niſi ad tua encomia, deflectant. Creſcet in maius gloria, recordatione ſacri montis Caluariæ in Samogitia per te, ad perennem humani ſeruatoris venerationem erecti. Parum tibi videbaris egiſſe, quidquid, conſortem in pietate pateretur; ideoq; nouum opus exorſus es, quod tibi ſoli debetur. Nouos igitur honores, noua decora mereris, qui, noua ornamenta ſæculi inueniſti. Habet ætas noſtra à te, per quod non modo antecedenti æuo, pietate non cedat, ve-

rùm etiam, futura tempora ſuperet; quia illud, non reliquit; hæc autem, à nobis ſumét, tantæ pietatis exemplar. Audierit hactenus, pulcherrimo virtutis encomio Samogitia *Pia*, maioribus deinceps a tua manu aſſurget titulis, & *pietatis mater* merito dicetur:. cujus terras, ad pietatem excoluiſti germinandam. Arborem nimirũ vitæ, ſacro monti inſeuiſti; aſpectu quidem grauem & vitæ exſpirantis fato, miſerabilem; ſed quæ, cœleſtis ſenſu in animos admirabiliter agat, vt morte creatoris occumbentis, vniuerſi ad vitam exurgant. Credo ego, hâc induſtriâ, collibus ipſis ac montibus, ſecretum quendam animum infuſum, vt quemadmodum olim, ſub hoc ligno, ad contumeliam defixo intremuerunt; ita nunc ad triumphum erecto, exultare ſint conati: ſtábant autem immoti, quod felicitatem ſuam, tuamq; pietatem, attoniti demirarentur. Non inuidebimus certè Regionibus Indicis, ſacrum Granadilli germen, illuſtrem, Dei paſſi typum: immo beatiſſimam crucis arborem glorioſius oſtentabimus, & pulchriori facinore, naturæ ingenium, in pietatis artificio expreſſum, gloriabimur. Quantumuis enim magna omina, India in illo flore, ſuis regnis parturiuiſſet, cum ſeruatoris mortem mirâ effigie depræ dicans, ignorantes barbaros, ad eius cultum inuitaret; imo clauorum ſpinarumq; ſerti punctu-

ris, vrgeret; nihilominus altiùs, mentes noſtræ aſſurgunt, auguſtioraq; præſagia, animo concipiunt. Quid enim hæc ſigna magni Imperatoris in theatro publico defixa promittant, niſi cœleſtia præſidia, noſtris commodis militatura? quid hoc trophæum opimis ſpolijs auguſtum, ad nos delatum præſagiat, niſi palmas perennes victoriaſq; ſecuturas? Arbor hæc ſeruatoris ſanguine ſacra, in perennes lauros efflorefcet; hic agger obiectus, periculorum impetum ſuſtinebit: hoc ſcutum, aduerſa tela eludet, atq; auertet. Aude Præſul! & quod Conſtantinus Imperator vrbi, tu tuæ Prouinciæ inſcribe. *Hoc ſalutari ſigno, vero fortitudinis indice, prouinciam veſtram in libertatem* pietatis *vindicaui, ſuoq; ſplendori reſtitui.* At nos grati, venerationem tui demiſſo cultu ſubſcribemus, gratiaſq; & mille gaudia, & mille vota, tuæ virtuti, gratulabundi ſuperaddemus. Triumphabis ſub hoc triumphali trophæo, non de impietate tantū, verū etiā de obliuione. Nemo diuinum illum, Dei paſſi verticem, non tam ſpinis, quàm curis noſtris confixum, oſculis venerabitur, quin in tua ſtudia, religionis promouendæ cauſa aſſumpta, incurrat. Nemo beatiſſimo pectori, cogitationes ſuas immittet, quin te in eo conquieſcentem agnoſcat. Vide itaq;, quantùm fata mortalium excedas. Illa humanis manibus, tua diuinis incumbunt, illa labi,

labili memoriæ, tua immortali ſeruatoris recordationi ſunt inſerta.

Hæc ſunt Præſul Illuſtriſſime decora, quæ tua dignitas, honor, virtus, in Samogitiam contulit, optatiſſimus autem, ex vrbe reditus, recreauit. Nunquid igitur omnia percenſui? Feci id, quod præſtaret quiſpiam, opulentiſſimum gemmarum ærarium ingreſſus, ſi ei nō perluſtrandi tantùm, verū etiā aſſumendi pretij, indulgentia concederetur. Nequaquam ille, aut vniuerſas, quæ excellerent raperet, aut nullas ſumeret; aliquas igitur ad munificentiæ ſeligeret teſtimonium. Occurrunt multa, narrantur, laudantur, ſed decliuis oratio, ſub parte oneris ſerpit; imò iam labitur. Puderet fortaſſis, aliorum eloquentiam, tam candida confeſſione, imbecillitatem prodere; mea, etiam intereſt. Cum enim cenſus ſit gloriæ tuæ, quem pendo; & tributum meritorum atq; honoris; quâ melius ratione illud exoluam, quam deiecto ad pedes cultu. Rectius virtutem non colimus, quàm adoratione: vt quemadmodum illa è coelo originem trahit, & non humanum ſed diuinum opus eſt; ita cœleſtem quoq; referat cultum, & non Deo parem, quia Deus non eſt; ſed Diuinum, quia Dei munus eſt. Sentiunt præterea literæ, ſe ingentibus tuis beneficijs oneratas, & ſub pondere fatiſcunt. Cum enim Patronum te ſuum, Academia ac Vniuerſitas

ſitas Vilnenſis colat, omnis profectò eruditio, cum capite, ante Te inclinatur. Noſter præterea Apollo, eo magis beneficijs tuis, & laudibus oneratur; quia non aliorum tantùm iure, ad te pertinet; verùm ſub Pontificali cura conſtitutus, tuus eſt &, tuus eſſe gaudet. Salue igitur inclyte Præſul, & à tenui fortuna noſtra, vota imparia, grato animo, & quo ſoles uultu, admitte.

ME Memphis, an me conſpicuo Rhodus
Collo, ſtupentem baiula ſuſtinet:
Vrbeſq; turritaſq; ſupra,
Impauidum iubet ire moles.
Vt, totus vnum fit populus caput,
Vnamq; pulchro conſilio gerit
Mentem, perennandoq; dextras
Imbuit artifices labore.
Feruet, ſub artis laudis amabilis
Cupido ſignis, marmore nobilem
Vrgere molem, ſæua ſupra
Regna noti, populumq; ſupra
Dirum procellarum, & ſuper atria
Exuſta ab iris impatientium
Telliſq; fulminum, refracto
Quando ruunt furibunda clauſtro.
Hic digna magnis nomina Patribus,

Hic

Hic digna magnis nomina poſteris,
Auro refulgent, & benè actis
Adijciunt ſua ſigna rebus.
Quàm pulcher ordo ſurgit imaginum;
Latè coruſco fulgure proditus?
O mira maieſtas parentum!
O Oculos, humeroſq; diuos!
At glorioſis vecta curulibus
Spes fauſtitatis, famaq; lumine
Inſignis, anni dedicatos
Expediunt titulos; honorem
Æuo ſequenti. Namq; refulgurans
Se prodit alto laurea ſidere,
Auguſta virtutis corona,
Mens operum, pretiumq; magnum
Iuremus! & me iungite non pigrum
Vobis ſodalem. Surget & a meo
Non vilis ô viri coloſſus
Ingenio, memoriq; fronte
Sublimis olim, te Samogitiæ
Illuſtre lumen, porriget ætheri:
O ſæculorum cura felix,
Materies ſtudioſa laudum!
Spectabis alto ſidere, concuti,
Immotus orbem, fataq; perfido
Nutare collo, caſuumq;
Conſpicuas variare ſcenas.
Plausêre lætis ſidera gaudiis,
Magiſtra virtus, ipſa laboribus

Se iunxit, atq́; æternitatis
Augurium tulit ipſa veræ.
Quid turbo poſſit? quid furor ignium?
Quin ſe ſupernis, deijciunt iugis
Amantq́; virtuti fauere,
Et famulo iacuiſſe cultu.

PANEGYRICVS

In laudem Illuſtriſſimi, Domini D. Pauli Ioannis Sapieha Palatini Vilnenſis, ſupremiq́; Ducis Exercituum M. D. L. Słonimenſis, Rosłauienſis, Zdzitouienſis, Borcianenſis Capitanei. Regiæ Saulenſis, & Kobrinenſis Oeconomiæ Adminiſtratoris. ſub titulo. Paſſus Gloriæ. Nomine Academici Anno 1665.

PROLOQVIVM

Illuſtriſſimis ac Magnificis Dominis

D. CASIMIRO IOANNI SAPIEHA M. D. L. *Curiæ Theſaur. Breſtenſi, Volpenſi Capitaneo.*

D. BENEDICTO PAVLO SAPIEHA M. D. L. *Subdapifero.*

D. FRANCISCO STEPHANO SAPIEHA *Olkinenſi Capitaneo. Digniſſimis tanti Parentis Filiis*

NVlla certius filios inſtruunt præcepta, quàm parentum geſta: nulla vehementius generoſos animos perurgent incitamenta, quàm maiorum exempla Illuſtriſſimi ac Magnifici Domini. Facillimè percipitur, quod oculis diſcitur, altiſſimoq; figi neceſſe corde, quod Magnificis inculcatur factis. Si enim Themiſtoclem Miltiadis trophæa dormire non ſinebât; ſi Iulius Cæſar, ad Macedonis ſtatuam, cupidine æquandæ gloriæ complorauit; quid non valeant in animos, domeſtica trophæa? quid pullulantes de cunis palmæ? quid nutrix ætatis gloria? quid ambientis vndiq; latera, authoritas antiquitatis? Longa quæuis mora otii, tantis prouocato exemplis, inquieta omnis quies, tantis præeuntibus Ducibus. Cedant aliena, dum veſtra domi ſunt exempla,

Illuſtriſſimi, ac Magnifici Domini, quorum magnanimos ad maxima impetus quantùm tota Patria ſuſpiciat, publicis Magiſtratuum officiis eſt teſtata: quos, in ſalutatione veſtrûm ab exteris redeuntium, tanquam obſides ſui affectûs, teſtimonia æſtimationis, ſignacula iudicii, obtulit. O quàm pretioſiùs ipſo auro, *Sapiehana* ditatur dignitate Curiæ M. D. L. Theſaurus! quàm certæ ſalutis publicæ Dapes, *Sapiehanis* miniſtrantur manibus! quàm benè Regij Capitaneatus, fidiſſimæ Regibus ſuis, inſeruntur domui! Verſantur quippe ob oculos veſtros, Magni illi, Iagellonis, & Vitoldi Ducum Lithuaniæ coætanei, atq; in ſenatu Principes, Simeones Sunigally *Sapiehæ*, verſantur Theodati, Ioannes, Nicolai, Staniſlai, Alexandri, Leones, Caſimiri, ſummis in Republica poſt merita magiſtratibus, innumeris in hoſtico victoriis, ampliſſimâ vbiquè nominis famâ, ornatiſſimi. Salit igitur ſanguis gloriâ accenſus in venis, magni magna ſuadent, æternitatis poſſeſſores æterna. Sequimini, ac porro ſequemini, magnis, quos ſera poſteritas numerabit, paſſibus. Eius ſtudia, gaudiaquè, prouidè noſtra Academia, cumulatura paſſibꝰ Veſtris, paſſus Gloriæ Illuſtriſſimi Parentis Veſtri ſtylo atquè humili deuotione coniungere auſa eſt: vt & quem potiſſimum Ducem itineris glorioſi habeatis, innueret; & quàm libens

bens illi, ac vobis cultum ſuum deſerret, humiliter teſtaretur; & quàm ingenti illuſtriquè comitatu, coniunctæ cum Glorioſiſſimo Parente Gloriæ, poſteritatis illuſtriſſimæ famæquè poſſeſſionem adituri ſitis, poſteros commonerer. Eueniet id equidem, cum paſſus Illuſtriſſimæ magni Parentis veſtri, gloriæ, firmiter preſſeritis, qui iam ſpectandi panduntur.

P A S S V S

Ætatis Primæ.

MAgnus paſſus, ad vitam magnam agendam, è magnis naſci; quales Aui, Proaui, Ataui, Tritaui, cæteraque *Sapiehanæ* Domûs lumina, cùm Illuſtriſſimo Duci, & Palatino noſtro obtigiſſent; Parentem pariter, Suecorum ad Derpatum, 1603. ad Kircholmum 1605. Victorem: rebellium, bello ciuili contra *Sigiſmundum* III. Regem 1609 profligatorem, Moſchorum glorioſiſſimum triumphatorem accepit. Trigeſies, cum Moſchis, ab illo pugnatum, totidemque reportatæ victoriæ, quibus, poſt Suyſcii 30. millia ad Troycam, 10. ad Borowko profligata, poſt occupatam deinde Moſcuæ Metropolim, in ipſo Magni Ducis Moſcouiæ palatio, immortuus eſt. Præluſiſſe

na-

naturam, in magno Parente, magno Filio, nemo dubitabit, quiſquis paſſus procedentis ætatis expenderit, totidem, maioribuſque hoſtium victoriis, rebellium pœnis, triumphorum gloriâ, conſignatos. Dignus Parens, tanto Nato! dignus Natus, tanto Patre! vt perennet Parens in Filio, & Filius triumphet, cum Patre.

PASSVS

Geſtorum ſub Vladislao IV.

Virgo Pallas eſt; ſed armata. Pura, ſed non imbellis, neque inermis. Fouet galeâ ſapientiã, & monet iuuentutem, non onerari doctrinam militiâ, ſed honorari: militem tamen non ſatis ſapere, ſi nihil vltra arma ſapiat. Rectè id & ex genio Illuſtriſſimi *Pauli Ioannis Sapieha*, qui primam adoleſcentiam culturâ literarum Brunsbergæ in Collegio Societatis IESV imbutam, tam glorioſæ ad caſtra tranſtulit: vt miles & Dúctor ſimul laudaretur: tanto dignior, quanto plus de ſuo, patriæ obtulit, vitam, & legendæ haſtatorum cohorti, atque merituræ, ſumptus. Tulit palmam multorum in vnius *Vladislai* IV. Regis Iudicio, quò, vis animi illius, generoſique ad Smoleſcum, & ad Bialam auſus, ita probati ſunt; vt
totâ

totâ poſteritatis laude, coronari mereantur. An & ipſa iam coronauit immortalitas? Decernent, qui norunt; quemadmodum deſultorio impetu, ad Regis nutum, valla Białæ cum cohorte ſua inuadentem, egeſta puluere tormentario ingens terræ moles, pluribus horis tumulatum, integrum deinde reddiderit: vt quem immortalem, gloria factorum eſſet conſeruatura, hunc inter morientes deprehenſum, mors tangere non auderet.

PASSVS

prælii ad Zborowo, & victoriæ, de Scythis, atque Rebellibus, ad Bereſteczko.

NVllus hoſtis periculoſior domeſticô, nulla fides infidelior, perfidô ſubditô. Eheu patria! quot id exemplis probas, quot damnis luis! Luiſſes inſuper ad Zborowo, fraude rebellium circumuento exercitu: niſi fortuna & virtus, Sereniſſimi *Ioannis Caſimiri* Regis Poloniarum, fides & robur inuictiſſimorum Heroum pro te ſtetiſſet: inter quos facilè primi, Illuſtriſſimus *Caſimirus Leo Sapieha Procancelarius M. D. L.* & Illuſtriſſimus *Paulus Sapieha* tum Palatinus Vitepſcenſis, legionum *Sapiehanarum* Ductor. Sexies *Sapiehanæ* cohortes, multitu-

dine hoſtium turbatæ, vi ruptæ, totidem vicibus in aciem coaluere; viceruntque, quia vinci non potuerunt. Non crediďiſſet tamen ſe victos rebelles, atque barbari, niſi rurſus ad Bereſteczko cæſo fugatoque innumerabili penè exercitu, eruditi: cuius quidem victoriæ, præcipua momenta, *Sapiehanæ* gloriæ monumenta ſunt.

PASSVS

Defenſæ in extremis periculis Patriæ.

Verat dolor afflictæ Patriæ, memorare, quod ſalus reſtauratæ, iubet. At, eſt ſua dolori quoque voluptas, ſiccatiſque lacrimis, amæniùs vultus ridet. Fuit ergo illud tempus, cum ſeceſſione civium deſerta, fraudibus, & armis hoſtium, circumuenta Reſpublica: bella, nec illata ferre, nec ferenda, ſuſtinere poſſet. Non Dux, qui Ciuis eſſet, in promptu, non miles in ordine, non neruus belli in fiſco. Vnus erat, in quem, tantâ fiduciâ deſperatas res Patria inclinaret, *Paulus Ioannes Sapieha*: vt hoc ſuperſtite, ſe ſuperfuturam, ſperare poſſet. Hunc nobilium vota, hunc militum deſideria, hunc bonorum omnium reſpiciebant ſuffragia. Acceſſit demum omnibus Regia auctoritas, elegitque præ omnibus, qui ageret, pro omnibus,

con-

conſeruaret omnes. O Atlantem inuictum! qui tantæ moli, non modò ſuſtinendæ ſuffecerit, verùm etiam erigendæ. Stetit inter ruentia, vrbium, prouinciarum, Regni deniqúe totius rudera, infractus: & impetûs, atque ſpei hoſtilis Victor, Patriam, pro ſe, triumphare iuſſit.

PASSVS

Victoriæ, de Moſchis, ad Breſtam.

Velox eſt curſus fortunæ, & impetu valet: ſed euentu plerumquè deſtituitur. Talem vidêre Breſtiani campi, in Horuſouio Duce Moſchorum, vaſtatâ latê Lituaniâ, ſpe, totam Poleſiam complectente, exercitu 18. millium oppugnante. Sciebat Horuſouius; militem numero parem, deeſſe Lituanis; ſed ignorabat, paucos leones, totas turmas agitare animalium imbellium: Duce præſertim, Leonum ſanguine ſato, Leonum ſtirpe inclyto, Leonum fortitudine inuicto. Vicit cauſa melior, vicit *Paulus Ioannes Sapieha* Ductor inuictus; & clade hoſtium ingenti, ſupplicationem induciarum; vitæquê à victis extorſit. Viciſſet etiam, hac vnicâ victoriâ, tota Lituania; ſi miles, quàm fidus patriæ; tam Ducis conſiliis obtemperans, bellum geſſiſſet. Vna tunc ma-

nus *Sapiehana,* hoſti expugnando, vnius *Sapiehanæ* conſilium,conſiliis hoſtium euertendis ſuffeciſſet; niſi barbarus victorum ſanguis, Gorgonis caput multiplex edidiſſet, monſtrum in orbe, quoties editum, toties infortunatum.

PASSVS

victoriæ de Suecis, expugnata arce Tykocinenſi.

Tykocini arx, ſtagnantes inter latè paludes fixa, ſemper inacceſſa habita: poſteaquam verò Suecorum præſidium accerſiuit, & ciuium, Regi, ac Reipublicæ infeſtorum, perfidiâ inhabitari cæpit, ſola, vniuerſæ Podlachiæ, atque Maſouiæ euentus, & fata incluſiſſe, expugnando verò impoſſibilis, videbatur. Adiectum geminum fortiſſimumque propugnaculum: vt nuſquam meliùs peſſima in patriam fides, nuſquam ſecuriùs timidiſſimum vitium habitaret. At, quàm nihil imperuium *Sapiehanæ* virtuti! Tanta temporum, locorum, ingeniorum molimina, paucæ horæ, expugnauerunt, ſubiugauerunt, diſturbarunt: Timebatur non immeritò, ne abuſos clementiâ, ſeueritate rigidiore Dux plecteret; verùm quantum clementiæ datum ſit, teſtati ſunt ipſimet hoſtes; qui irati ſuis ſceleribus, puluere tor-

men-

mentario ſponte accenſo, pænas de ſe ſumpſe-runt, magniſq; arcis minis, perfidiæ in ea extinctæ, monumentum, erexerunt.

PASSVS

Victoriæ Lublinenſis, de Suecis.

Nefaſta Regno nubes, infelix eſto! quæ Sereniſſimum *Ioannem Caſimirum* Dominum noſtrum clementiſſimum, cùm cordi, animo, amori ſubditorum, ſurripere non poſſes, oculis tantiſper ſubduxiſti. At illuſiſti oculis, non eluſiſti ſpes. Semper ille luxit, & ſoli par, cœlos gloriæ ſerenus occupauit. Nubila quæ fuerunt, non alia fuerunt, quàm quibus ſol ita tegitur, vt â nobis non ſatis noſcatur, ipſe luce natiuâ gaudeat. Felix verò ſerenum, quod Leopoli emicans, quo primùm radio Illuſtriſſimi Ducis *Sapiebæ* mentem attigit, eodem cor perſtrinxit, vt affectu toto, & exercitu, in eius occurſum properaret; quem de cœlo ortum, nunquam dubitaſſet. Non deerat interea ingenium Suecis, vt nouâ oppoſitione, cornuti & ad fraudem, ac vires, prompti animi, lunarem Ecclypſim Lublini inſtaurare conarentur. Ceſsêre tamen vmbræ ſoli, ceſsêre fraudes conſilio, ceſsêre vires fortitudini *Sapiebanæ*. Lublinum hoſte depulſo, libertati, Polonia vl-

tra Viſtulam ſita, ſibi reſtituta eſt. Sic vicit *Sapieha*, triumphauit Reſpublica.

PASSVS

obſidionis Varſauienſis.

Niſi per aëra abriperetur, terrâ & aquis non ſe evehendum ex Polonia, dicebat, intolerans fortunæ, Carolus Suecorum. O Princeps! vario nimium confiſe colori. Expecta tantiſper! Te quidem ignota tibi fata, terrâ, & aquis eripient, Tuis autem Oxenſternijs, Wittembergijs, Vranglijs, cæterisque horum paribus, optatum ſolo, & ſalo, negabit Varſauiâ exitum, *Paulus Ioannes Sapieha*. Aër quoque, cuius tibi libertas ſola grauis erat, tormentario puluere occludetur; vt captiua præſidentia, diſcat, plus cauſæ, quàm fortunæ credere. Tenet ſanè Vitembergius pro Te vires: audaciam non fame ſolùm, communibuſque obſeſſis calamitatibus, luet; verùm etiam ſanguine ſuorum; & pluſquam vigeſies victor in Germania, captiuus morietur Zamoſcii. Regi Sereniſſimo ſeruata hæc laus, vt vincat non hoſtes ſolùm, ſed & fortunam hoſtium. Illuſtriſſimo *Paulo Sapiehæ* tantæ laudis, grandis pars cedit; ante alios Varſauiam cinxiſſe, præcluſiſſe deſperantium fugam, egiſſe vigilantiſſimè, oppugnaſ-

gnaſſe fortiſſimè, repreſſiſſe excurſiones Vitembergii feliciſſimè; è quarum nonnulla, ſeptem pro trecentis ſociis, ſecum retractis, errores fortunæ ſuæ, Magiſteriò militari *Sapiehæ*, numerare didicit Vitembergius.

PASSVS

Depulſi Vilnenſibus campis Moſchorum Ducis DOLHORVKI.

Vt ſententias, indecoræ pacis, â legatis Regis, ad Vilnam fœdera pangentibus, extorqueret Dolhorukius; armata ſuffragia immenſo campo explicuerat, vi pro ratione, victoriâ pro conſilio vſurus. Minax & periculoſiſſima ſuaſio, quos animos non mouiſſet! niſi oppoſitis ſuorum Illuſtriſſimus *Sapieha* copiis, ferrum ferro refutaſſet: quod poſteaquam ſtrictum in acie conſpexit Dolhorukius, ipſo principio agendi ita expauit; vt eliſa armorum audaciâ, obmuteſceret. Viſi tum in illius exercitu nonnulli, nudato corpore, medias inter acies ſuorum diſcurrere, parata ſcelerum flagellis mancipia, dummodo victoriam Magicis incantationibus efflagitarent. At quid poſſet ſcelus, contra virtutem; impetus contra religioſum ritèque ſacris ritibus militiæ *Sapieha-*

banæ expiatum animum? Non campo ſolùm ceſſit Dolhoruki, verùm etiam, de repetendo campo, promiſſis, atque alteri Ducum, fraude ſuſuratus victoriam, *Sapieham* ampliùs videre noluit, diebuſque pluribus, nulli diligentiſſimorum exploratus, ſerò in fuga deprehenſus, tergo pœnas grandes luit: barbarâ patientiâ, non vibicibus tantùm, ſed vulneribus & mortibus, ne â fuga retraheretur, toleratis.

PASSVS

Minſcenſis Propugnaculi expugnati.

Pulſo ex Lithuania Dolhorukio ouans redibat ad Ducem exercitus, Tribuno legionum fortiſſimo, plurimiſque victoriis clariſſimo Illuſtriſſ: Alexandro Połubinski Cenſore M. D. L. exercituum digniſſimo. Ecce verò rurſum, quem fugârant, Dolhorukius, è propugnaculo, arte & muro valido, in ſuorum præſidiariorum ferociâ, Minſci obuius. Non hi Ducis ſui fato, non ſucceſſu noſtrorum fracti, arma & animos pari contumaciâ retinebant. Quid ageret, armis tantùm equeſtribus inſtructus miles? quid auſpex belli, animis inſinuaret *Sapieha*? quid ſanguis ille, honeſti cupidine ardentiſſimus, ſanguis Połubinianus, idemque Sapiehanus? Perrupit virtus aggeres, mœnia.

niaque tranſcendit: inter quæ, accerrimè ſeſe tuentibus hoſtibus, tantò glorioſior victoria obtenta, quantò fortiùs ad internecionem hoſtium pugnatum. Tum verò colludere Fortuna Marti, & non animos ſolùm, ſed & corpora victorum, adeo venerari, vt militem, mænia ſuper pugnantem, cum parte rupti muri, tormentario puluere in àëra excuſſum, eidemque inſiſtentem, incolumem & integrum interram demiſerit, minimè ſperatum molis nouæ, Auſpici Sapiehæ, victori Połubinio poſitura coloſſum.

PASSVS

Victoriæ de Tranſyluanis.

Grande Principum malum, regnandi ambitio: quæ, poſteaquam cupidum Tranſyluani animum inceſſit, repentè, de amico Regni, hoſtis factus; Suecoſque & rebellium Coſacorum animos auro mercatus; Regnũ inuaſit. Ferat quiſq; laudẽ, quã hoc bello meruit. Illuſtriſſimus quidem *Paulus Sapieha*, & ære proprio, legionum, militiam ob defectum ſtipendiorum detrectantium, obſequium Reipubl. addixit; & deſtinatis ad excurſiones Breſtenſes arcendas cohortibus, ipſe, Podlachiam, Lublinenſemque tractum, hoſtibus eiectis vindicauit. Tri-

duo

duo deinde toto, hoſtem ſibi inſiſtentem, exiguâ manu ſuſtinuit; Rakocio, minimè de copiarum exiguitate dubio, ſed ad Sapiehanæ virtutis famam, prælium ſubterfugiente. Senſit tamen robur, cuius vitârat manum, miſſo iterũ ad vrgendam fugam, Illuſtriſſimo Alexandro Połubinski, cuius acceſſione, auctis Polonorum viribus, intra paucos dies, ex integro debellatum. Ipſe inſuper Dux noſter, cùm in itinere in equeſtrem Tranſyluanorum turmam incidiſſet, ſolo ordinario comitatu inſtructus, eandem deleuit: vt qui hic Rakocium aſſequi non poſſent, adſuturis eius manibus, apud inferos obuiarent.

PASSVS

Victoriæ de Moſchis, ad Polonkam.

Geminum, per vniuerſam Lituaniam reſtabat propugnaculum, hoſtilibus viribus hucuſq; Par. Neſuiſienſis Arx, Illuſtriſſimi & Excell: Principis *Michaelis Radziuilii*, Herois perenni in rempublicam fide, integerrimâ conſtantiâ, ingentibus meritis Glorioſiſſimi, hæreditaria ditio: Arx quoq; Lachovicze, Magni Ducis Caroli Chodkievici opus, Magni Ducis *Pauli Sapiehæ* hæreditarium propugnaculum. Ab hoc; ad Neſuiſienſe Chouanſcius tranſitu-

rus

rus, omnes vires capiẽdæ munitioni, toto trimeſtri impenderat. Conflictum non rarò, feliciſſimis noſtrorum excurſionibus, illata obſidentibus pericula, ereptæ valla ſcandentibus machinæ, nihilque non irrito conatu, à Moſchis actum. Victoriæ tamen compendium Połonka dedit: ad quam, auxiliantibus Polonorum copiis, cum Chouanſcio Moſchorum Duce, Illuſtr: Dux noſter congreſſus, profligatis vltra 24. millibus hoſtiũ, peditatu exciſo, diſiecto equitatu, hoſtilibus caſtris, eodem impetu, victor inuectus eſt; arcemq́; Lachovieze libertati ſuæ reſtituit. Non quære tantorum meritorum Dux Illuſtris: noua monumenta, non quære coloſſos, aut Pyramides. Totis, tuæ gloriæ ſuccollatura terra, ſurgit arcibus, totas in tuas laureas germinat ciuitates. Procede ad Baſſiam. Nam te illic reſumpto Spiritu Dolhorukius præſtolatur, vt cum animo reſumpto, reſumat fugam.

PASSVS

Victoriæ de Moſchis ad fluuium BASSIAM

Hîc demum inexploratus in fuga Vilnenſi, ſine exploratoris neceſſitate, conſpectus Dolhorukius, memoriâ, illatæ bellico terrore ignominiæ accenſus, vindictæ cupidine furens,

ma-

magnitudine exercitûs extra ſe diſtentus. Robur Moſchoviæ trahebat, equitatu prævalidus, peditatu, ambulatoriis propugnaculis munito, inaceſſus. Pugnatum pluribus horis accerrimè; mediam aciem, & robur pugnæ Illuſtriſſimo Duce *Paulo Sapieha* obtinente, victoriamq; prævalidè vrgente, donec pulſus campo Dolhorukius, fugam veterem nouâ impulſurus, tam præceps in caſtra rueret, vt perſequentes noſtri, tentoriis inueherentur. Ludicrum tum planè exhibitum â Moſchis ſpectaculum: tentoria fixa, homines fugitiui: tormentorum boatus, & eiulatus debellatorum: excurſiones è caſtris cohortium, & regreſſus in Ruſſiæ, interiora caſtrorum: durauitque tamdiu, donec ſcenam, apertus mutaret campus, concluderet autem Chouanſcius, cum auxiliis quæ ducebat interceptus, & profligatus.

PASSVS

Victoriæ de Moſchis in obſidione, & Recuperatione Arcis Vilnenſis.

Tota Lituania vincta videri poterat; quamdiu arx Vilnenſis captiua teneretur. Nam ſi caput langueat, ſingula membra languere eſt neceſſe; ſi doleat, dolere; ſi vinciatur vinciri. Hanc, cùm fortiſſimo milite Illuſtriſſimus Dux

cinxiſſet, fortiſſime deinde oppugnaſſet, & milia plura præſidiariorum, multis ſtragibus, ad ſeptuaginta penè hominum numerum redegiſſet, ad deditionem Sereniſſimo *Ioanni Caſimiro*, Vilnæ tum præſenti, operiſque, munitionibus, oppugnationi inſtanti faciendam, coëgit. Oppugnauit Dux; Rex vicit, quia Dux non ſibi, ſed Regi pugnauit: cui ſemper vixit, atque etiam viuit. In vrbe Principe, Principi potiſſimùm triumphus debebatur, quo per vniuerſam Lituaniam propagato, tota ſimul cum ſuo Principe, triumpharet patria. Ductus pariter in triumpho arcis Tyrannus, detractaque Lituaniæ vincula, crudeliſſimus hominum, ſibi inſerta ſentiens, tandem didicit, libertatem ſeruitute vinciri non poſſe, ſeruitutem in ſumma licentia, non eſſe liberam. Inuocauit poſtremò, qui nodum vinculorum ſolueret, Alexandri ſui gladium, ſed acies illius, *Sapiehanæ* in obſidenda arce conſtantiæ petrâ obtuſa, ſine viribus, effracta eſt.

PASSVS

Perpetui indefeſſique in ſtudio boni publici laboris.

Facilius virtutis iter inexitu, quàm in aditu, rectè cenſuerunt; qui voluptatis ſenſum, ex re-

cordatione benè geſtorum promanantem, delibarunt. Non eſt tamen leuis res, aut paruo animo æquanda, in culmine ſubſiſtere, benè parta, pari induſtria & conſtantia tueri, virtutis ſigna nunquam deſerere. Multum egit, qui virtutem occupavit; qui occupatam retinuit, longè amplius; & tantùm, quantùm maximorum Heroum, laudibus, atque ideo Illuſtriſſimi etiam *Pauli Sapiehæ* par. Non illum ingentium laborum ſeueritas, non curarum magnitudo, nõ ætas grandæua â bono publico procurando, promouendoque unquam auocauit. Vindicatâ ab hoſtibus Lituaniâ, duxit exercitus in Ruſſiam, ducturus etiam in Moſcuam, triumphoſque Regios latè promoturus: niſi ex eiuſdem Reipublicæ voto, â Moſcouiæ finibus, ad Lituaniæ limites & ſecuritatem conſeruandam, auerſus fuiſſet. Pugnauit tamen abſens, in fortiſſimis cohortibus: vicit in ſuo legato, Illuſtriſ; Alexandro Połubinski: Ducem Prozoroſuium, cum eiuſdem Collega, & gemino vtriuſque exercitu profligauit, Bychouiam recepit, res deniqúe bello clarè geſtas, domi, magnis conſiliis integerrimiſq; ſtabiliuit & ſtabilit. Fauete ſuperi! dum Martem reſumit, vireſq; & robur diuturnum, quo omnes firmemur, Duci meritiſſimo, benignè concedite.

PER-

PERORATIO.

Finis dicendi non eſſet; ſi non facerem: & defeſſam labi oporteret Orationem; ſi indefeſſam Illuſtriſſimi Ducis aſſequi conaretur virtutem. Quid dico aſſequi? Dicendo non ſum, non laudando; loquendo,non eloquendo. Delibaui, quæ occurrerunt: non numeraui, quæ geſta ſunt. Nihil tamen eſt, quod morer. Docebitis vos, ô cara cœli Lituani decora, domûs Martiæ promicantia fulmina, ſapientiæ illuſtria cryſtalla,virtutum turgentes gemmæ, Veſtris exemplis, quod calamo ſubtraxit memoria; explicabitis imitatione, quod ſtylo negauit eruditio: promouebitis perpetuo factorum uſu, quod dictionis non attigit languor. Ite felices! Creſcite glorioſi! Durate (quantum fas ſit hominibus) Æterni! Creſcent per veſtra incrementa Academiæ obſequia, comitabitur progreſſum cultus: litabit immortalitati, perpetuo iure *Sapiehanis* beneficiis, & gloriæ, veneratio conſecrata.

PA-

PANEGYRICVS

In laudem Illuſtriſſimi Domini.
D. MICHAELIS CASIMIRI PAC tum Palatini Smolenſcenſis, nunc Vilnenſis Caſtellani, Supremiq; Exercitu-um M. D. L. Ducis, Academiam inuiſentis. Nomine Academiæ 1664

ASsvrge
Quo potes, apparatu, Academia!
Vt qua debes, reuerentiâ,
accumbas
MICHAELI CASIMIRO PAC,
Marti LItuano, Soſpitatori, Hoſpitique Tuo.
En, caput illud, publicarum curarum Sacrariũ!
En, pectus, inuictæ fortitudinis arcem!
En dexteram, ſalutis publicæ pignus, atque fulcimentum!
SALVE DVX, & Ducum Gloria!
Cui campus Martis, domus eſt; caſtra, Vrbs; tentorium, Penates; miles, domeſtici; labor, quies; Iupiter gelidus, hyberna; pugnæ, conuiuium; victoriæ,

ob-

obſonium.

Pacem nomine præfers, bella autem manu geris:

Quia,

bellorum finis, pax eſt:

Et Tu

Bellicus Triumphator, Paciſque & fortunæ noſtræ

Fortunatiſſimus Auſpex;

Dux Campi, & Lilium;

Fortis & Innocens;

Hoſtium, & iniuriarum Victor.

Non arctaris in flore tuo ſepibus, quia nec in animo, gloriæ inuidiâ.

Gaudes publico, quia amas bonum publicum; totusque quantus tantus, Patriæ es.

Habeat Roma ſuos Curtios, atque Decios, dum ſuum Lituania ſuſpicit

MICHAELEM PAC.

Parem Deciis Curtiiſq; animo, maiorem Succeſſibus:

Quorum menſura, nulla æquior, virtute, tua Per vaſtiſſima

Liuoniæ, Curlandiæ, Samogitiæ, Lituaniæ Ruſſiæ, Moſchouiæq; ſpatia, cum meritis diffuſa.

Subtrahere illis aliquid fortuna, ad Parnauiam voluit;

Cum pedem globo hoſtili apprehendit:

At luit ſcelus calcata,
Veniamque audaciæ, cæſorum capitibus, enſe tuo
ad pedes ſtratis, deprecata.
Cæca Dea
Signa tua numerauit, Te non vidit.
Terna illa erant: ſed Tu, vnus pro pluribus.
Hinc Suecus,
Numen tenebroſum deteſtatus,
Cum Tu, non modo cohortes fugâ ſimulatâ
ab arce auocatas, ſtrauiſſes;
verùm ipſa quoque mænia, Victor
perrumperes;
Vulcano, pro fortuna ſupplicauit:
Copioſo ſtramine ponè portas incenſo,
Ignibus igitur cúm arce ſeruatus ADERKAS,
vitam ſuam debet:
Suæ verò audaciæ
Amputatum à Te pugnâ ſingulari, Gladio brachium,
Audax primum prouocator, mox Captiuus Tuus,
Colonellus Iſzkiel.
Quàm bene manum perdidit,
malè gladio vſus!
Et gladium, manu!
Plus tamen illo vno opere egiſti, quàm ageres.
Vnius manum; ſexcentorum audaciam
præcidiſti;
qui tum, ad Muſſam fluuium deleti,

Sero ingemuêre
Se, COLVMBA Ductore, contra Tuas
Aquilas
Millitare auſos.
Quin & ipſe COLVMBA
Proiectis alis, pro pennis, pedes ſumpſit:
Vt mature ſe periculo ſubduceret.
Geminaſti graue hoſtibus fatum,
Nongentis inter Zagory ac Kurſzany deletis:
Quibus
Celeritate ſumma interceptis,
Tantum viuere, quantum venire, licuit.
Nuncius tamen victoriæ, vt maneret,
ASTVERVS, Legionis Ductor vinctus ac
detentus eſt.
Hic è uinculis Duklaſſio locutus:
Calentia tumidi Auditoris præcordia,
Graui frigore perſtrinxit.
Reſtabant Duklaſſio vires & numerus Exercitûs:
Te,
Septem tantummodo cohortes ſtipabant;
Magnum omnino militiæ robur,
Quia virtute Tua firmum:
Quâ, præfidentem hoſtem debellaturus,
Mutaſti ſæpius, per eoſdem, diurnaſ
nocturnaſq; vigilias,
Ne mutares ſucceſſus:
Prohibuiſti pugnam; vt occupares Victoriam:
geſto pariter ac diſſimulato Marte,

Felix, & metuendus.
Suſtine moram DVKLASSI!
Nam,
Si te Fames, ignorati numeri militum, diu
exedit,
ſatiaberis facile;
Cùm per Curlandiam fugiens, de equo
prandebis.
Sin ſitis ſanguinis vrit,
Propinabitur, de totius profuſione exercitus:
niſi malueris,
amiſſa maxima parte equitatûs:
Ad Balticas Rigenſis portús aquas,
Cum reliqua ſiti properare.
Fecit;
Tibiq́ue ouanti, & nouis viribus aucto,
conſeruatæ Samogitiæ, Curlandiæq́;
defenſæ
Gloriâ relictâ:
toto ſe mari profugus immerſit:
Nec vnquam inde, per ſe ſuoſq́ue, vindicatas
à Te,
Prouincias reſpexit;
Ne in excubantem Tuum gladium,
impingeret,
Neq́ue tamen, hac quoq́ue ratione, ita ſuis
rebus
prouidit:
Quin à Te, publicæ proſperarentur.

Bou-

Bouſco Suecis erepto,
& Nitauiæ capiendæ, peditatu ſubminiſtrato:
Leui tamen hanc Victoriam tingimus calamo,
Ne de Tui in Patriam prodigo amore
queramur:
Qui Te,
Gregario militi, arcem oppugnaturo
immiſcuit,
At
Latere non potes:
Nam vis Tua, & virtus, Te, vbique prodit.
Sic & fulmen, cœlo proiectum, non videtur;
& tamen noſcitur:
Cui omnino ſimilis,
Contra Moſchos Vilnam inſidentes decidiſti;
Ciuitatem intercepiſti, arcem obſediſti.
O Vrbis nouus Parens, nouuſque Conditor!
Quantaquanta Vilna eſt,
Monumentum Tui eſt.
Excitaſti Vrbem, quam ſeruaſti:
Erexiſti templa, quæ iam ruitura Vindicaſti:
Dediſti vitam hominibus,
Quam, à cædibus ſententiâ certâ hoſtium
deſtinatis,
Liberaſti.
Lituania quoque,
Vilnæ incinerandæ ſepulchro, tota condi
debuit:
Conſeruatâ vitâ, Tota Tibi viuit.

Pugnatum inſuper ad Dineburgum,
Vt vinceretur Vilnæ;
Pugnatum minore hoſtibus acie,
Vt vinceretur maiori Gloria:
PVLIVCHTOVIVS præſidia trium millium
Obſeſſis illaturus,
à decem cohortibus Tuorum, profligatus.
Verùm
Age Ducum Fortiſſime!
Conde Gladium, vt promas conſilium!
Vinculumque Ciuile,
Magnis Patriæ commodis interceptis,
grauiter adſtrictum,
Diſſolue!
Gladiꝰ Alexãdri tãto nodo à multis quærebatur:
Tibi tuus ſufficiebat;
Quo vſus,
Alexandrum æquaſſes:
Seruato innocenter,
Et Capitibus Nodi in publicum eductis,
Nodum, metumque mali, ſoluiſti:
Obſtupuit tunc, Victor Tuus Enſis,
Sãguiné ſine ſãguine, cædes ſine cæde vindicari:
Et ex Genio Domini inſtructus,
Arma contra hoſtes, non Ciues geri.
Milite è Patriæ viſceribus deducto,
Primus in hoſtico effulſit.
Mox, DROMONTO Moſcorum Tribuno
obuius,

Sex

Sex millium manum diſiecit;
Intercepit commeatum, excidit vallis
Bychouienſibus incluſum præſidium,
cinxit arcem ferro:
Donec à pertinacia barbara, fame diuturnâ
eneruata, deditionem extorqueret.
Quis inde Tuarum Aquilarum volatus
proſequatur?
Facile ſermo ſub Tuis laboribus fatiſcit,
Nunquam Tua virtus.
Vt non ſit mirum,
Quod tamen omnes meritó miratur,
Te in pugna,
Ad Baſſam, Dunam, Boryſthenem,
Dziſnam, Kraſno, Sclouiam, Vitepſcum,
Mohilouiam,
ſemper primum viſum:
non modo imperio;
Sed manûs quoque impenſo Reipublicæ,
Militari obſequio.
Parce ô Dux ſermonis ſinceritati!
Millies
Inter totidem ſuſcepta pericula; fata irritaſti:
Nunquam tamen Tibi grauiùs nocere auſa,
Stupore virtutis.
An & Boryſthenes ad eandem obſtupuit?
Cum malè gelatum,
Calore militari ſolidaſti?
Et parte caſtrorum, Petri DOLHORVKI cæſa.
Ob-

Obſidionem Sclouiæ, eodem æſtu ſoluiſti?
Hoſtes certe, non ſtupor modò, ſed & pauor occupauit;
Vt noctis beneficio vſi aufugerent;
Non auſi plena luce intueri,
Quem in grauiſſimâ Baſſenſi pugnâ,
Ex habitu ipſo ſatis notum,
Ex vulneribus, mortibuſque ſibi illatis,
Timendum agnouerant.
Circumtuliſti deinde eundem timorem,
ingentem Moſcouiæ partem,
Latè depopulatus:
& quo tempore
Nonnulli, vires contra Ciues, colligabant;
Tu Laureas, Patriæ,
in hoſtico nexuiſti.
Auxiſti inſuper
Sereniſſimi REGIS IOANNIS CASIMIRI
voluntate,
ad Sieuſcum cum exercitu evocatus:
in cuius conſpectu, ad Nouogrodecum,
paucis tuorum comitatus
totas hoſtium legiones, perrupiſti, fudiſti.
Suſtulerit verò hîc fortuna
communem Patriæ Laurum;
Te
Non coronatum, non potuit dimittere.
Nam
Ciuicam, pro Murali obtulit;
Vt

Vt Victor Hoſtium,
Et Conſeruator Ciuium,
pari gloriâ fruereris.
Auxit deinde cōpioſè præmium,
Virtus:
& pro vna Lauro, ternam repoſuit:
de fronte, trium Moſchouiæ Gygantum,
detractam.
CHOVANSCIVS Dux, primus eſto,
Fax, Lituaniæ vaſtandæ ſuccenſa,
Suorum Sanguine, per Te extincta.
Robore & Induſtria pugnaturus hoſtis,
Robur, & induſtriam perdidit.
Vt Te amoueret á Boryſthene,
Septuaginta millium exercitus, centumq́ue ac
Septuaginta tormentorum, magnam molem
admouebat *Czerkaski* Generaliſſimus.
Vt Te, tanquam ceſſurum in Lituaniam,
præuerteret:
delectis decem millibus,
Vitepſcum peruenerat Chouanſcius.
Neſciebat infelix, quo properaret!
Ad palmam cucurrit, & in ſcopulum impegit:
Copiis, armis, caſtris excuſſus.
Arduum eſt nimiùm cognoſcere:
Quanto Numine Plenus, tanta bella
aggrediaris;
Quantoq́ue felix, vincas.
Erumpebat hic, per viſcera terrarum,

.anni-

vniuerſæ
Patriæ Vox,
Miles ne Feri!
Cum Tu, Publici Timoris Vltor,
Haſtati militis contum, Latus Tuum
petentem,
Ita gladio tuo reieciſti;
Vt ictum & fatum retorqueres.
I audax nimium Furia!
Et Sukino, Luouio, Dolhorukio, cæteriſque
Nobiliſſimis Tuæ Gentis in hoc prælio
Immolatis Manibus,
Qua manu cecideris, renuncia.
Satis feres Gloriæ
Quod ſic, perire merueris.
Dux Inuictiſſimus, cœlo dicaturus Victoriam,
Militari triumpho abſtinet:
Toto
Laudibus Dei decantatis reſonante cœlo,
Totis
Ante Aras, ſecum ſimul, ſtratis legionibus,
O Quanti,
Mutato veteri prodigio,
Surgent de hac terra, contra Hydras,
Hercules!
Quanti Heroes! quanti Atlantes.
Felix Victorum, & Immortale genus,
Quorum militiæ, conſtantiæque florem,
Nec æſtus areſecit, nec brumæ ſub dio actæ,
deco

decoxêre;
nec vlla temporis viciſſitudo
eliſit.
Exigua,trium,quatuorue millium manus,
Ingens,
Et tot hoſtibus, pugnis, victoriis par, Tuus
Exercitus.
Succedat ergo CHOVANSCIO,
toto robore tumidus CZERKASKI
Nihilque de tantis itineribus; conatibusque
referat:
Quàm,
MICHAELEM PAC Exercitûs M. D. L.]
Campiducem
quinque cohortibus delectis,
vniuerſi exercitus Moſchouitici impetum
ad vallum Mohilouiæ ſtitiſſe.
Se,
Cum fruſtra tunc Mohilouiam, mox Sclouiam
tentaſſet;
Luiſſe tergo pænas:
Alibi à Paciano milite abeuntem inſequente,
alibi
à Sclouiano præſidio erumpente, cæſum.
Illud tamen annalibus ſuis non indignum
addiderit:
centum ſeptuaginta tormentis, tota die
Slouiâ oppugnatâ,
Anus vnicæ, vitam expugnatam:

Nec

Nec plures hîc corripuit, longimanus Gigas,
DOLHORVKI,
tametſi terrorem furioſum latiſſimè ſparſerit.
Timebat pro ſe quiſq;, Tu pro omnibus audebas:
Fugam meditabantur pleriq́ue in mænibus;
Tu, pugnam in campis.
Victoriam ſperabat prope nemo; Tu parabas.
Alibi *Scipio*, *Alexander* alibi.
Hic
CVNCTATOR FABIVS,
Fortitudine & Prudentia,
MAXIMVS.
Vix ſibi conſtitit, ad vtriuſque experimentum
DOLHORVKIVS:
& deſperata de Te Victoria,
Contra Sclouiam. & Kopyſcium mouit.
Vtrobique Te reperit.
Vbi enim non eſſes, vbi eſſent Tui?
Kopyſcii tamen
Obſidione oppidum vndique cingente,
minimum ſperabaris:
At recentibus præſidiis, munitioni, inter
medios
hoſtes ſuppeditatis;
Præſentem
priùs ſenſerunt, quàm viderunt.
Noua inde DOLHORVKIO ſuſcepta
cogitatio,
vbinam Te non inueniret?
Ce-

Cedere placuit Dąbrownam:
& cum cederet: mereri, vt cæderetur:
donec
deſideratis ſuorum, propè decem millibus;
arrepto in Seueriam abitu,
Tanti ſuorum exercitûs,
tam exigua Tuorum manu,
Cohibiti, repreſſi, fatigati, cæſi, pulſiq́ue;
artibus includeret ignominiam.
O Tuum DVX Fortunatiſſime decus!
O immortalem Laurum!
O! ab ipſis hoſtibus, Smolenſcianis
mænibus
illatum auſpicatiſſimè, Nomen!
Vrge felices Victorias!
Vive perennem vitam!
Age MAXIMIS Heroibus pares
Triumphos!
Nos Te triumphantem
grato cultu & perenni veneratione
proſequemur.

PA-

PANEGYRICVS

In laudem Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi S.R.I. *Principis, Ducis in Ołyka & Nieſwiez D.Domini ALBERTI STANISLAI RADZIVIL M.D.L. Cancellarii,* Tucholiẽs. *Meueń. Caunẽ, Pinſcẽ.Velõ.&c.Capitanei ſub Titulo,* Atrium Immortalitatis *in funere eiuſdem, Nomine Collegii Pinſcenſis* 1654.

ATRIVM IMMORTALITATIS

HÆc eſt vera, multiſq́; ambita, conceſſa paucis vitæ mortalis felicitas: decurſu temporis immortalitatem attingere, & impetu quo vſibus humanis eripimur, poſteritatem occupare. Sapientiſſimo enim inſtituto ita damnis noſtris prouidetur, vt illa quidem in lucra, & ſpolia mortalitatis, in trophæa gloriæ commutentur. Quidquid viximus perdimus, ſi ſimul toti deſinamus eſſe, dubitariq́; non

non immeritò poteſt an fuerit? cuius corpus & virtus eodem conduntur tumulo. Licet, ſi libet, optimâ hominis parte virtute; immortales fieri. Hoc auguſtò Spiritu, poſſumus animari à morte, hac beatâ fecunditate, propagari ad poſteritatem. Pulchrùm, & votis ampliſſimis par, monſtrari digitò,

& dicier, HIC EST:

quoties tamen alio vultù quàm virtutis conſpicui, famam publico damus, nec maiores exiguâ tumbâ, nec diuturniores fragili tabulâ, nec illuſtriores ſparſis leuiter coloribus apparemus. Repetamus tantiſper acta antiquis ſæcula; mauſolea æternitati ſacra ingrediamur, atria fumoſis heroum imaginibus auguſta introſpiciamus. Quæ illæ ſpecies virorum! quàm illuſtres formæ, quàm admirandæ? viuit adhuc, & totum vno vultu ſpirat Cocles exercitum, ardet illuſtris aſſumptis ignibus Sceuola, inſultant hoſtibus deuota Patriæ Deciorum capita, Fabii Veios fatigant, Annibalem Alpes horrent, Scipio Africam premit, Pompeius triumphat, Auguſtus orbi leges dicit. Interſumus abſentibus, nobiſq; interſunt abſentes, noſcimur ac noſcimus. O pulchram virtutis formam,! ô immortale decus! ô perennem gloriam! Age verò ſi eadem virtus cœleſti religione cultior cœleſti inſignior prodeat ſpecie,

eie, quos quantoſq; monſtrabit heroas? quibus vitæ melioris oculos animoſq; ſpectantium complebit exemplis? viua vtique,quæ viuis dat animos, & vita,quæ luci cōmuni ſubductos, luce fouet publica. Sinceræ virtutis cultores, morte poſteritati eduntur, exceſſu conſeruantur: beatiori propagatione, quam à primo vſu auræ ſumpſerunt: quia & ſuimet parentes, nulli vitam debent, olim debitam, & temporum decrementa non metuunt, toti ſimul æternitati nati. Tales vos noſcimus, attonitiq; diu intuemur, ô ingentes animæ, terrarum decora, perennitatis lumina, ſæculorum Atlantes, Conſtantini, Theodoſij, Caſimiri, Eleaſarij. Errant qui exiſtimant ablatos vos, à populorum aſpectibus, quia exceſſiſtis terris. Vt ſol per ſiderum culmina elatus, non auffertur oculis, ſed lucidior infertur: ita Heroës virtute Deo ſacra illuſtres, dum ſolo cedunt, occupant coelos: tanto clariori luce orbem illuſtraturi,quanto altius faſtigium obtinuerunt. Atria nobilitatis maiorum imaginibus antiquis culta. Atrium Immortalitatis orbis eſt. Pictorio penicillo non colitur, ſed virtute. Quærat cum Macedone Appellem, cui ars aliena in pretio: ridebit Iupiter ſua fulmina peregrinis inſerta manibus: applaudent iuſto Ioui ſana ingenia, quibus ignominioſiſſimum alieno gloriari. Nonne vmbra hominis ima-

go corporis? quid eius partis ſuperuiuat, cuius poſſeſſio mors eſt? vnde homines noueris, quos ligneas linteaſq; cernas tabulas? ſcilicet homo non truncus eſt, ſi truncus ſcalpatur, vir non æs, non marmor, non tela, ſi manu artifici pronaſcatur. Cedite fallacia ignauarum mentium ludibria, virtute poſteritas ſine dolo occupatur, virtute propagamur, virtutis ſpecie quales aut qui ſumus, nulla ſpectantium fraude, magnâ noſtri gloriâ cognoſcimur. Atq; hæc eſt Tuæ ſortis felicitas *Illuſtriſſime* ALBERTE STANISLAE RADZIWIL *S. Rom. Imp. princeps, Magni Lituaniæ Ducatus Cancellarie.* Ingenti bonorum omnium dolore ſublatus terris, ingenti tui Nominis incremento ades poſteritati. Vixiſſe te dicere vix poſſumus, (viuis enim adhuc plenoq; virtutis vultu ſpiras) viuere nos vix crederemus, niſi Te intueri, admirari, laudare poſſimus. Fatemur perſtringi oculos, confundi acies, neq; tamen eſt quod excuſemus. Non plus in aſpectu Tui, ac laudibus ſpectatori, quàm pictoribus in ſua arte licet. Laudatur tamen audacia, cùm luminis conſpecta puritas, coloribus adumbratur, cùm meridiei claritas, ingenio artificis obnubitur, cùm dies in tabula veſperaſcit, cum Sol nube pictoria tegitur. Nimirum neceſſitate peccatur, non affectu, vires operi deſunt, non animus. Oriri lumen, ſub calamo aut voce, non po-

 tek,

teſt, quin obſcuretur; radiare, quin deficiat. Has vices in Tuarum virtutum ô *Princeps* lineamentis ſpectandis iuxta ac annotandis, ſubimus; vmbratiles ingenio, grati conatu: hæc pericula patiemur, nec tamen Tua ſimul patietur dignitas. Quemadmodum coloratus Sol, ad radios veri ſolis contemplandos deducit, ita virtutum Tuarum ductæ à nobis vmbræ, tanto quoq; triſtiores, quanto à mæſtiore animo, poſt Tuum à nobis abitum ortæ: ad Tuorum meritorum ſplendorem faſiſcentes oculos erudient. Experturi firmitatem aciei, oculos in Te ipſo figant, nos lucem Tuam inumbratam difficile ſuſtinemus. Neq; tamen aliâ formâ ſpectandus occurris, quàm virtutis. Tot licet radijs circũfũdaris, quot generis ſũma nobilitas, quot illuſtriſſimarũ familiarũ ac inprimis *Lubomirſcianæ* inſerta ſidera, quot externorum Principum clariſſima teſtimonia, quot maximorum in Republica officiorum geſta diffundunt munera: Tu tamen quidquid à maioribus luminis, ab amicitijs ſplendoris, à Principibus gloriæ, à Magiſtratibus ſummis, dignitatis accepiſti, virtutem feciſti, quam more ſolarium radiorum, tanquam vnicum Solem, cætera oſtentent ornamenta. Hoc tu Phœbo, perenni inuectus horizonti, orbem illuſtras, hic occaſum apud te neſcit, hoc illuſtriſſimus ſemper ſuſpicieris, & iam ſpectaris.

IMA

IMAGO PRIMA

Illuſtriſſima iuxtaq; antiquiſſima Ducum RA-DIVILIORVM S. R. Imperij Principum familia ortus, auitam nobilitatem virtutum dignitate ſuſtinuit.

INSCRIPTIO

Magnum naſci, fortunæ munus:
Magnum viuere,
Virtutis opus.
Lunam fortuna, ſolem virtus in orbe agit;
Lunam Soli ſi oppoſueris,
Ingens amiciſſimorum ſiderum diſſidium,
terrarum damnum metuendum.
Vt radiet luna, radios à Sole accipiat;
vt fortuna, à virtute.
O felicem vtriuſque luminis concordiam!
In
Illuſtriſſimo Principe,
ALBERTO STANISLAO RADIVILO.
Ortus cum Lituania, adoleuit cum virtute.
Natus Dux ac Princeps, vixit Ducum
Principumque Gloria.
Opulento turgens glorioſa ſanguine vena,
Pari fluxit gloriæ cupiditate.
Ibi tamen guttis, hic riuis.
Nobilitas Maiorum hæreditas facta meritorũ.

Memoria, Imitatio, Gloriatio, Expreſſio.
Quidquid in Republica Polona magnum,
idem aliquando Radiuilianum fuit,
Principis Noſtri eſſe meruit.
Clauas, Inſulas, Purpuras, Sceptra, naſcens
domi inuenit:
inuenta, virtutibus amplexus, meritis inuoluit.
Tantum de Summis Maiorum dignitatibus
vindicauit ſibi gloriæ,
quantum Summo heroi ſufficeret:
tantum de maximis ſpontaneè dimiſit
honoribus,
quanti magnum feciſſent, ſi non fuiſſet.
Illuſtriſſimæ præterea Reginæ ab Eiſenreich
conſorti,
tum verò ab illius obitu,
Illuſtriſſimæ Chriſtinæ Lubomirſciæ,
Comitiſſæ in Wiśnicz
Coniugali fœdere iunctus,
innumera inuentis adiecit decora,
Dignitatis, & Virtutis:
Vt ex *Principis* conſuetudine, dignitas ornaret
virtutem,
virtus dignitatem coronaret.
Commune vt Genus, ita virtus infra Principem
meritò æſtimata.
ô quantis
Summa hæc generis humani ornamenta,
etiamnum per orbem Polonum funduntur
Srzc-

SRZENIAVÆ LVBOMIRSCIANÆ fluentis?
Sanguine rubuiſſe fluuios, à cædibus Romanis,
memoratur,
totus ſanguinis illuſtriſſimi prolutio
inter purpuras Lechicas exundat *SZRENIAVA*
mitior impetu, glorioſior fonte.
Nec inuidendæ Oceano gemmæ.
Copioſiores hìc leguntur,
Quibus
æſtimari non facilis, Concha,
Magnorum Domus Lubomirſciorum
Lux, Generis claritas; Candor, meritorum
ſidus.
Abundè
Splendorem à Maioribus acceptum auxiſti
Magne princeps!
quando Hæreditarios *Radivilianæ* Gloriæ ac
virtutis ortus,
Nunquam defecturo *Srzeniavâ* cumulaſti.

IMAGO II.

Non naturæ ſolùm, ſed Diuinâ ſorte felix, à parentibus pietate orthodoxæ Religionis commendatiſſimis editus, Romanæ Eccleſiæ profeſſionem quoad vixit conſtantiſſimè retinuit & promouit.

IN-

Cælum, cuius claues Petro datæ
Terræ aperiunt,
Nam & Petrus cum in cœlis degat,
in terris reſidet.
Roma à Petri in terris *Mora*, ſedes cæli
vicaria audit.
Et AMOR, cùm ſit ſiderum,
Sidereos ARMAT heròés.
Fruſtra bella mouetis Gigantes.
quæ ab alto nō timetis, intra vos ſunt fulmina.
Alia manu opus non habemus.
Dextera & Brachium Dei, Romanos montes
agitat.
Vnicus contra omnes Hydras ſufficit Hercules,
Cui
Claues Petri, pro Claua.
Vni Capiti
Decemplex alliſuræ monſtrum.
Sed hem plorandam audaciam!
Placet multis interitus, dum ſalus dicitur.
Et bellum contumaciæ, Pax conſcientiæ
nominatur.
Gaude ſorte Cœlica
Illuſtriſſime Alberte RADIVILE
Cui
Vitam communem ingredienti,
Cæleſtis ſimul Ianua patuit.

Pe-

Petri Clauibus Miniſtris. Petri clauium
fortiſſimo Tutori.
Vnius arboris cum multis fructus,
feliciori erupiſti RAMO.
Adamaſti Romam, quia veritatem.
pugnaſti pro vtraque, quia pro Deo.
Oſor ingens tam ſcelerum, quàm errorum,
imo errorum, quia ſcelerum.
Mala fides cum bona vita, nunquam
conueniunt:
& malè Religione vti, malâ vitâ eſt perire.
Hæc ô Princeps
prouidus intellexiſti & vitaſti,
illud egiſti beneficus,
Vt Romanæ profeſſionis ſacra arma, conſtanter
promoueres;
Sub quibus nemo etiam cadit, niſi ad victoriam,
Nemo iacet niſi ad Triumphos.

IMAGO III

VLADISLAI Principis, à SIGISMVNDO III. Rege ac Parente, peregrinationibus ad exteros Præfectus, regiones ab eodem Regum Sapientiſſimo iuxta ac Piiſſimo vetitas, ſollicitè vitat, nulliſque ſociorum conſiliis è ſententia dimoueri ſinit, ſed in eadem Principem continet.

Non omnis tellus vno flore vernat,
Nec omnis arbor eodem fructu beata,
At
Placet Florilegium Pomilegiumque.
Separentur odorata à venenatis, immaturà
à maturis.
Neque guſtûs ſed iudicij opus eſto.
Serò nimis mors hauſta vitatur.
Manu quoque venenis admota capimur.
Sapientiam tuam, *Sigiſmunde* Regum
digniſſime!
Omnem amaſti virtutem, nulla vitia.
Eruditionem BONI, optaſti Principi
Vetuiſti MALI guſtum,
Vtrumque nec in paradiſo, ſimul ſcire
conceſſum:
& cùm proterue diſcitur
malo noſtro, malè ſcioli plectimur.
Conſtantiam quoque tuam Sapientiæ Regiæ
gemellam!
ALBERTE STANISLAE RADIVILE.
Dum Parentis præcepta, infractus in Principe
filio imples,
Regnum in vtroque conſeruaſti.
In Parente, cùm Filio Optimo relinquere
poſſet,
In Filio, cùm par Patri ſuſcipere mereretur,

In vtroque

Cum qua ſapientia alter ſuſcepiſſet, alter
conſeruaret.

Aſia Italiæ illata, Italiam ex Italia excluſit.

Polonia

peregrino truſa impetu, vix in ſe ſubſiſtit.

Vt pedibus homines, ſic Reſpublicæ moribus
nituntur,

Anne alienis?

Vndique colligatur,

Sed Sola,

quæ cum vbique ſit diuerſa,
vbique eſt eadem virtus.

IMAGO IIII

Cancellarius M. D. Lituaniæ ex officio creatus, leges ſartas integraſque conſeruare ſtudet, non rarò, ingenti ſpe lucri neglecta. Sic cùm à quo*dam Magnate decem millia aureorum offerrentur, ne certi officij ſperatæ illegitimè adeptioni ſe opponeret, oblatum munus continuo reiecit, coram Chriſto, quem fortè ſub ſpeciebus Panis ſumpſerat, proteſtatus, ſe ne totius mundi pretio, iuſtitiam, veritatemque ſemel iuratam venditurum, adeoque graui ſermone egit, vt nec apud Principem, neo apud alios opulentus ille Mercator, auſus ſit, id officij licitari.*

Tandem
In pretio pretium non eſt,
nec cenſu,ſed merito conſtant honores
ALBERTO STANISLAO RADIVILO
Legum ac Magiſtratuum Cuſtode.
Liber Principis animus, ſuo ſe pretio æſtimat,
nec toto emitur auro.
Aſellus Philippi, aſinis coronatis placet, non
Aquilis
quæ perſpicaciſſimo *Radivili* è ſtemmate,
mercede honoris, Principem emi,
cognouerunt, recusârunt.
Anne auro perſtringeretur cœleſtibus radijs
aſſueta Ales?
Et tamen
Sol aureus dum fulget, non raro meridianus
obſcuratur.
Pauci à ſiderea die, ab hac innumeri
cæcutiunt.
Credamus iam Epaminondæ
Non ſolùm à Magiſtratu virum oſtendi, ſed
& à viro *M*agiſtratum.
Vas pertuſum aquam non cohibet,
Illo ſciſſo, hæc diffluit.
Vaſis vitium aqua, naturam aquæ, uas prodit.
Indignos officium arguit,
dignos cum ornat, ornatur.

Quan-

Quantũ ſit *Cancellariatum* agere, certius ſcimus
quando ad officij æſtimationem,
Oblatum pretium, Princeps profudit:
Non vt emeret, ſed ne venalem faceret
authoritatem.
Tanti conſtat Heroibus honeſtum
Vt omne vileſcat aurum
An orbis etiam?
Cùm Iuſtum ac Æquum Princeps facto
tueretur,
iuſtiſſimè, ante tribunal velatum Dei
id decidit.

IMAGO V

Reipublicæ tuendæ cohortes militares ſub Sigiſmundo & Vladislao Regibus, tum etiam ſub IOANNE CASIMIRO, ad Loiovo, Mewam, Tucholiam, proprijs ſumptibus aluit. Pacis tamen ſalutaribus artibus amplius deditus, extremis vitæ temporibus, fidelitatem in pluribus promouit.

INSCRIPTIO

Bellorum domus, orbis eſt.
Martis, Polonia diu fuit,
fuiſſetque conſtantius,
Si conſilij fulcra viribus ſuppoſuiſſet,

Ex

Ex vtroque Princeps.

Illuſtriſſimus ALBERTVS STANISLAVS RADZIWIL

non armis, non conſilio Patriæ defuit.

Negabit Zoilus, probabit ueritas:

carpet inuidia,

Loquetur Moſcouia, Lituania, Ruſſia, Pruſſia.

Pugnauit tantis viribus, quantis cohortibus,

Vir idem, & magna ſæpe pars Exercitus.

Vt pluries Patriæ prodeſſet,

pluries in ſuis eidem vixit:

vt diu

mori ſimul non debuit.

Fabios Reipublicæ dedit, Decios pectore geſſit.

Togâ tamen quàm ſago claruiſſe maluit;

& pericula abſentia auertere, quàm immiſſa depellere.

Oſor belli cùm vitari poterat, cultor pacis cùm retineri.

Vtriuſque optimus Æſtimator.

Pace enim hem Poloni, belli initia duximus?

togâ, cum fide plurium, depoſita,

Sago, cum rebelli perfidia, aſſumpto.

ô quàm ardùum

impetus licentiæ ſemel effuſæ, ratione cohibere!

Proſperitate publica, audacia; ſucceſſibus, contumacia concepta.

Mon-

Monſtrum eiecit naturæ degeneris,
Purpuratam Perfidiam.
Natiuo ſanguine ad gloriam tincta, publico
ad ſcelus erubuit:
nec tamen Principi ruborem affudit.
Veteri fide vitam egit,
nouo cenſu, Reipublicæ impendit.

IMAGO VI

Publicis humanarum rerum curis, privatisque eam dedit operam, vt Diuinis præcipuam impenderet, omnique ætatis ſtudio, ad piè ac ſanctè viuendum conuerſo, Pijſſimi Religioſiſſimiq; Principis famam, apud omnes obtinuit.

INSCRIPTIO

Non ſolùm nos nobis natos ſed & Patriæ
dicebat Tullius,
Non nobis ſolum & Patriæ, docet Magiſtra
veritas.
Magnam potioremque partem cœlo accepimus:
reſtituturi.
Fallere neminem poſſumus, falli plurimum,
Alibi fraus damnum alienum, hic noſtrum.
Accepta ſi non reſtituantur, perduntur.
Si reddantur habentur.
Quæ lucra credimus damna ſunt, quæ damna,
lucra,

Sibi,dum viuitur deeſſe, viui cadaueris eſt.
Patriæ, criminis; cœlo, ſupremi exitij.
Vixiſti ô *Princeps Illuſtrisſime*
Alberte Staniſlae Radiuile,
& ita vixiſti,
Vt ex debito ſoluto munificus Princeps
noſcereris;
& opulentus debitor
quibus Te debebas, abundè impenderes, ſuffi-
ceres magnificè.
Optima pars vitæ ac ſtudiorum Optimo
Creditori ceſſit
DEO,
magno, largitoris minimè indigi, & debitoris
omnia impendentis, lucro.
Ille cùm omnia plena habuerit,theſauros auxit:
Hic cum omnia impendiſſet
nihil expendit,
Quàm vana,à mortalibus cœlum inter ac terras
fingantur diſſidia,
diſcamus exemplo Principis:
Vtrique natus, vtrique vixit, & ſuffecit.
Nec Patria ſuum Cœlo, nec Cœlum, ſuum
Patriæ, inuidit Principem.
Laudauit communis conſenſus Religioſiſſimum
Heroëm,
Probauerunt ſidera,
Vt demum emeritam ſummæ pietatis

Coronam;
Vtriuſque arbitrio aſſumeret.
Poſteaquam Patriæ quod debuit, exoluit
Cœlis ſe reddidit.

IMAGO VII

Inter maxima ſtatui principis ac Cancellarij agnata negotia, conſilia Regia, viſitationes virorũ principũ, iudicia. publica, Diuinũ Officium Sacerdotibus recitandum quotidie exoluit: itemque Officium quod vocant paruum B. V. MARIÆ. officium de Immaculata Conceptione. Roſarium &c. præter alia Superùm honori litari ſolita pietatis exercitia,

INSCRIPTIO

Regale forum aula eſt
in quo multum magnificarum mercium,
plurimùm temporis proſtat:
Extra fori autem pene mores,
Vix vſquam emitur.
Sub haſta tanti res pretij locata, pretium
perdidit.
Culcitram Auguſtus vnius noctis quieti
conciliandæ non inuenit,
Tempus, vitæ præbiturum quietem

con-

contemnitur.

Alia, potiorque

Illuſtriſſimo Alberto Stanislao Radivilo

Summæ rei æſtimatio.

Nec vile, nec nimium viſum, rem ſua mole ponderanti:

In quodcunque incidit ſuum fecit, alio quidem vſibus humanis, copioſisſimo Diuinis attributo.

Partitus vt colligeret, diuiſit vt integrum ſeruaret.

Iuſtisſimus Iudex,

Vt redderet vnicuique quod ſuum eſt;

Æquiſſimus bene meritorum Amicus,

Vt eum ſe teſtaretur ad Aras,

Sapientisſimus Regni Conſiliarius

vt benè aliis ſuadendo, ſibi optimè conſuleret:

Glorioſisſimus Cancellarius

Vt dies honoris ſigillo in æternitate ſignatos agnoſceret,

nullis à temporis lucro negotijs, dimoueri ſe paſſus: ac ne dolo paterent,

Pijſſimis in Deum, Deiparam Virginem, Diuos Cœlites officijs, quotidie ſigillabat.

Princeps in Curia, ſine detrimento ſanctitatis,

Sacerdos inter negotiorum tumultus, ſine neceſſitate profeſſionis

De-

Deuotiſſimus Virginis Matris ſeruus, ſine
damno libertatis,
Ædes publicas priuataſq;, ſubſellia præterea
Senatùs & Regum palatia
in templa vertit,
in quibus cenſum Sacerdotalis Officij penderet:
Ad aram vtique pectoris Deo ſacri.
Hanc vt talem noueris
Coronatam ſuſpice
Non lauro, aut baccâ, ſed roſis lilijſque
Marianis,
ritu melioris Romæ litatis.

IMAGO VIII.

Præter orationes ſacras, voce perſolutas, contemplationi rerum Diuinarum quotidie vnam horam tempore matutino, ſæpe ternas quaternaſque diuerſis temporibus impendit.

INSCRIPTIO

Principium à Ioue, cum Ioue progreſſus felix
eſto,
Sed Iouem non fingimus nec Fortunam.
Qui Solem fecit, vicibuſque diurnis reficit,
Hic nobis Principium, hic Progreſſus, hic
Deus.

Non

Non ſua Sol nitet luce, non ſuo renidet aurora
decore,
Vultus ille Dei, hic oculus eſt.
Cuius corpus, vniuerſum; membra, elementa;
Spiritus, motus vniuerſi
Nec tamen cum hoc eſt. eſt,
Nec hoc vultu cùm ſpectatur, apparet, nec hoc
oculo cùm videt, intuetur:
Nec hoc Corpore conſtat, nec his partibus
diuiditur, nec hoc motu viuit.
Aliud,
Oculis non ſubiectum, Ingens, Admirandum
intellectu maius, ſibi eſt,
Nobis tamen hoc quoque,
Non quòd iſtud ſit, ſed quòd in hoc, quid ſit,
cognoſcatur.
Lucis Diuinæ tenuis linea, Solaris lux eſt.
Ex linea Appellem,
Pulchritudinis ſcintilla, auroræ claritas;
Ex ſcintilla ignem,
Magnitudinis particula, mundus;
Ex parte totum.
Actionum inſtrumenta Cœli, ignis, aër, vndæ,
tellus.
Ex gladio brachium,
Vitæ leuis halitus, Vita omnium,
Felicem Te *Illuſtriſſime princeps*
Alberte Staniſlae Radivile

Cui

Cui, dierum principium, ab hac Diuinæ
æſtimationis contemplatione,
Progreſſus cum hac.
Auroram non reſpexiſti quin Deum aſpiceres,
Solem à nocte reducem
non excepiſti, quin Deum animo reciperes,
Ioue non egebas, Deo imbutus.
An dignior occupatio Principi, quàm cum Deo
an gratior Deo, quàm cum Principe?
An rerum agendarum melius Principium,
quàm ab vniuerſi Principio?
aut perficiendarũ potior ratio, quàm à ſummâ
ratione?
Omne trinum perfectum, hîc maximè ſit
neceſſe
& Principium, Mediumque cùm obtinuerit,
Finem imponat Deus.
Currite horæ Deo meditatæ currite!
binis terniſque paſſibus cùm proceſſeritis,
ad perfectum diem facilè proficietis.
Verùm & quaternis, quiniſuè incrementis
auctis,
ad Principium, à quo cæperatis decurriſſe,
Satis erit.

I M A G O IX

Aulæ ſuæ integritati ſtudioſè ſemper inuigilans,

familiam ſemper vigilijs præuenit, eâque ſomno deditâ, Roſarium D. Virginis recitabat, tum pro domeſticorum defectibus, tum, vt aiebat, præueniendo morbi tempus, quo impeditus, non poſſet id officij D. Virgini præſtare.

INSCRIPTIO

Nulla pænè nox famulis, dies Heris,
Dum hi pro illis continuò vigilant, illi per hos
ſemper dormiunt.
Somnus & vigilia, vitæ communis vices,
Obſequia propria deſeruerunt, vt
commendarent aliena.
Iniurijs quoque ſuis natura benefica,
Vt matrem ſe probet, interdum degenerat.
Luci & tenebris fundendis edita,
Lucem aut noctem ſolam multis gignit.
Sol & Luna in habitaculo ſuo diu ſtabilia,
tandem
ad ingenii humani mobilitatem, mota ſunt.
Sic nobis
Non rerum tantùm, ſed & cœli vertitur ordo.
At duravit gloriosè integer
Illuſtriſſimo Alberto Stanislao Radivilo.
Meritus vigilias omnium
egit pro omnibus.
Stipatus Curiæ obſequijs, ſtipauit Curiam
inſignibus curis.

Nul-

Nulli ceſſurus, communem voluit virtutem.
Aliena vitia non credidit, quæ ſuorum dici
poſſent:
pulſa animo, prohibuit aula.
Confudiſſent, non inglorium certamen
imperantis ac obedientiũ, mutua pro ſe ſtudia,
Niſi claritas Principis,in tenebris effulſiſſet.
Somno familiâ uacante, inſomnis pro familia
exorabat Heros.
Sol de nocte lucebat
totis ſimul oriens annis,
Cùm toti, aſſumpto pietatis exercitio
prouideret ætati;
totum ſimul daturus diem,
Cùm Auroram per ædes circumferret
Marianam.
Hinc illæ Cœlicæ Roſæ, hinc de Roſario
feliciter conſito
Principis Domus, Roſarum Hortus.
Abeſte procul rudes vrticæ mordaceſque
ſpinæ:
Quidquid cœlo nõ bene olet,roſæ iſtæ nõ ferũt,
Hortus prohibet.
Cónueniens domino eſt, moribus aula ſuis.

I M A G O X

Diuos Cælites ſingulari affectu proſecutus ex
mo:

more Sodalibus Congregationum Deiparæ in Collegijs Societatis Ieſu recepto, Princeps & Mag: Duc: Lit: iam Cancellarius ſtatutis diebus, Almæ Academiæ Vilnenſis Sodalitia, ad legendos ſorte aliorum Academicorum. Tutelares menſium adit, ac inter reliquam iuuentutem ſortilegio ſacro intereſt.

INSCRIPTIO

Adeo proni in genus humanum cœli,
Vt quos ipſa fortuna fugit
admittant ambientes:
Pulcherrima audacia, tantùm hîc meremur,
quantùm demeremur alibi.
Prenſamus manus, felicitatis ſupremæ baiulas,
Clientelaſque nō vitam9, non ſuperbè ābituri.
Tuam verò ſingularem cum pietate induſtriam
Illuſtrisſime Alberte Stanislae Radivile
Nullas demerendi cœlos omiſiſti partes, omnes
meritus.
Quàm rarò conueniunt
Autoritas ſumma & demiſſio?
Quàm magnificè
Ambitam glorioſo ſinu vtramque intuliſti
Academiæ
M. D. L.
Princeps & Cancellarius;
Non potuit non plurimùm ſapientia ſapuiſſe.
Cùm

Cùm minimum ſapere, ſpectaculo Principis
diſceret,
nec glorioſiorem veræ eruditionis Doctorem
conſpexiſſe
tanto Principe, Humilitatis ac Pietatis
Publico Profeſſore.
Studioſus Diuorum Tutelarium cultus,
hactenus viguerat,
tunc in Laurum maturuit,
genua ſupplicis ante aram Diuorum, Principis
coronaturam,
Cinxiſſet vtique Caput,
niſi demiſſa inclinatione, Cœlo inſertum,
immortaliori ſerto præuentum fuiſſet.
Dies tamen inaugurati Cœlitibus Principis
ſingulis inſcripti menſibus.
Vno tanta pietas claudi die qui poſſet?
Quicunque iam magnos ſpectatis Principes,
dum parui fiunt pernoſcite.
In imo, nemo magnus videtur, niſi ſit;
in alto, trunco; quoque creſcimus.
Sorte optima Principis noſtri magnitudo
patuit.
Inter alumnos teneræ pietatis permixtus;
Gigas virtutis apparuit;
geminaque ſimul ſorte
Cœlitum Tutelam, Mortalium laudem,
nactus eſt.

IMA-

Sacratiſſimo Miſſæ Sacrificio quotidie intereſſe ſolitus. Sacramenta Pœnitentiæ ac Euchariſtiæ, non menſibus tantum, ſed ſingulis pene hebdomadis frequentat: Sacris item Seruatori eiuſque Virgini Matri diebus, tum etiam Diuorum Tutelarium ferijs: quorum virtutes quoque, ſummo delectu recolit.

INSCRIPTIO

Vno vitæ ſpatio,
toties viuimus, quoties mori poteramus.
Momentanei homines, Horarum lucella,
Quotidiani infantes;
Hoc ſolo felices ſumus,
quia extra arbitrium noſtrum poſiti, ſub
iuſtiſſimo vitæ neciſq; arbitro
vivimus DEO.
Prô quantum hoc nomen pondus inuehit?
Cogitent alij, ſuſtinuit generosè
Illuſtriſſimus Albertus Stanislaus Radiuilus
quoties viuus, acceptæ vitæ Deo gratus.
Nec tamen gratus ſibi viſus, ſi ſe beneficijs
autoris impendiſſet,
Par Deo donum, Deus eſſe debuit.
Sacris religione pura inſtitutis ſibi oblatus

Sic

Sic de alieno Princeps munificus, de ſuo Deus ditatus.

Imperatoribus olim menſes ſacrati
vni omnium Imperatorum Imperatori à Principe:
Grandi certè compendio
Sacri Panis circulo inuoluti.
Nouus cœleſtis Magiſterij diſcipulus,
Calendas pectori inſculptas geſſit,
ad quarum præſcriptum, tutelaria veneraretur ſidera,
Septimanam concluderet pietatem.
Occultam ſublimis ſapientiæ eruditionem,
Vmbra tegumenti corporei prodidit.
Diebus Chriſto, Virgini Matri, Diuis cœlitibus ſacris
Deo ſub pane velato,
Sacrum Principis pectus inumbrans.
Nec fruſtra de Virgine cera, vmbræ ſpecies adhibita.
Sagaciſſimum Diuinorum ingenium,
dum Pane cœlico, veſcitur,
Mella cœlica à ſe requiri intellexit,
& dedit:
De floribus pulcherrimarum virtutum
Pauli, Stanislai, Ignatij, Xauerij,
eo delectu, vt ſua cuique florum laus eſſet,
eo artificio,
vt omnis dulcedo in vnam transferretur.

velati Corporis Chriſti ceram?

IMAGO XII.

Orationes meditationeſque ſacras flexis genibus perſoluebat, cumque ſuccumbente tenero corpore oneri, genu alterum grauiter attritum fuiſſet, poſt diuturnam disſimulationem, nonniſi periculi grauis iuſto metu, ad medendum pedi igne diro affecto, adduci potuit: quo tamen tempore cùm non poſſet vtroque genu, altero flectebat, ſuſceptas Deo preces redditurus.

INSCRIPTIO

O magnæ prodigia aulæ!
paucorum in principe exempla Cænobitarum.
Supplicem Principem habitus monſtrat,
leuat caſus humilem.
Quantum deſcendit pondere corpus,
erigitur animus.
Scabellum pedum domini ponuntur inimici,
fit ſponte amicus.
Quidni Numen inuocatum ad ſe flectat,
tam demiſſè flexus!
Ars vna, Deũ accedendi, deſcendere.
Genibus minor factus, cælo caput inſerit,
Si ſtaret, tantus non excreſceret.

An & hac ratione par fieri homini amat Deus,
Vt ille è genibus, ad genua domini attingat,
inde delabatur ad ueniam?
In pedibus ſermo multis, paucis de pedibus;
Obrui dignitatem procumbendo rati
Maieſtate perorant;
Grandi eloquio, parui Oratores.
Decernat Magnus orandi Magiſter, Apoſtolus
Iacobus,
Vtrum glorioſiore calle ad callum genibus
flexis peruenerit,
an Princeps noſter ad vulnus?
Sponte ſuſceptum, vt ignauia ſanaretur,
diu toleratum, vt pede læſus, ad iter mentis
expeditior eſſet.
O facilem pietatis viam!
Vno quoque pede ad ipſius thronũ Dei ſalitur,
eodem tota conſtat oratio,
inuſitatâ, ſed optimâ conſtitutione.
Pluſquam tamen bonus Orator Princeps,
Ardet Phœbeâ face genu,
pectus Diuinâ.
Quæ metra hoc enthuſiaſmo captus fuderit,
beata recitabit æternitas.

IMAGO XIII

Ieiunijs aliiſque corpori inflictis moleſtiis non

con-

contentus, nouo Dei cauſa affligendi corpus accenſus deſiderio, machinam inuenit, quam ingreſſus nudatos auguſtos illos humeros, ſamulo flagellaturo proponeret, datis præceptis ne vllis gemitibus, aut ſenſu, à præſcripto plagarum numero, manuſque ſeueritate, ſe dimoueri ſineret. Ita autem ſacrum illum carcerem ordinauerat, vt ingreſſo, & ab extra clauſo, nullus motus liber eſſet ad dolorem minuendum, ſed ſolâ vincendus ſenſûs, tolerantiâ.

INSCRIPTIO

Iterum in aula Eremus, in palatio Martyrium.
Quàm ingenioſè inueteratus ſe renouat Amor?
Quàm liber in tam arcto carcere animus?
Quàm ſpatioſa in tantis anguſtijs Principis
libertas?
Quàm auguſta in tanto verecundiæ rubore
purpura?
Deſipiunt obſonia palati, ſano palato
meliuſque ieiunio expletur
Temperantia conuiua.
Multa tamen dum ſibi negat Princeps, nihil
Principi.
Maximus Princeps, cùm victor ſui,
Agnoſcite veri ingenium Amoris,
Nouis ignibus, noua quærit continuò fomenta;
Nõ amor, ſi non ignis, non ignis, ſi non nouus
perpetuò ignis.
An virtus nocua eſſe poteſt

totque iuſtiſſimis plecti tormentis
queri poterat?
Ne falleremur,
Nudata humeros viſa Innocentia
ab oculorum, quàm flagellorum ictibus
rubicundior.
Vtrumque tamen paſſa,
Vt intus, & in cute ſincera noſceretur.
Herus ſub manu famula plectitur:
Libertatem ad obſequia debita erudit:
Audiri ſuos gemitus non vult:
Cœlo totos tranſmittit.
Numerum plagarum minui nefas cenſet?
Nil conſonum turbato numero.
In hac potiſſimum cithara innocentiæ,
Subſultu ſanguinis, cantu animi, plauſu poli.
Sic ſonat, quod cœlo, quod æternitati conſonat.
Luctatur corpus ſpontaneo incluſum carceri,
Animus corpori;
Neutrum ſuum odit tormentum.
Tormenta Dei cauſa ſuſcepta, certiſſima,
omnium lenimenta dolorum.

IMAGO XIV

Munificentiâ in egenos ſemper eximiâ, vilma famis tempore, ingentes pauperum turmas, publicis prandijs per plateas diſtributis SOCIETA-

TIS IESV perſonarum operâ alit: tum rurſus Pinſci pari in neceſſitate totius vrbis egenos, ac aduenas ſuſtentat. Dotes multis indigentibus elargitus, poſtremo Olycæ, cenſum perpetuum pro dotandis quotannis Virginibus egentioribus fundat.

INSCRIPTIO

Niſi
munificentiæ amorem, pectoribus humanis
natura inſeruiſſet,
grauem ſe probaſſet Nouercam,
Neget interea, multa multis, rea tamen non eſt.
Dat omnibus, quod opulentis,
quia dat pro omnibus.
Magna Domus, Mundus eſt,
Vnius Patrisfamilias beneficio viuit,
per varios diſpenſato.
Aſſurge gloria *Illuſtrisſimi Principis*
Alberti Stanislai Radiuili,
fulcrum eminentius non requires,
opibus in egenos à Principe effuſis, in ſcabellũ
ſtratis.
Nullus illi dies perditus,
quo non amici de muneribus beneficis
comparati,
eò Tiberianis meliores, quò indigentiores.
Rediuiuus officio & virtute Eleazarius,

E

Egenorum defenſor, altor, ſeruator fieri, vnicè
ſtuduit, meruit.
Ne ſacra illa pectorum fames
cor ſuum exederet,
Oſtendit quæ innocuo vti poſſent auro pectora;
excitauit munificentiâ, auxiliaturi deſideria
auri,
fameque liberaliter immiſſa, famem malè
vexantem ſuſtulit,
Ingenti Vilna non ſuffecit vaſtitate
ambiendæ liberalitati Principis,
Pinſcum inde prouecta, & tranſuecta,
Ciuibus ac aduenis ſuffecit.
Parens pauperum vocari amauit,
Vrbium dici potuit,
Auri & vitæ glorioſiſſimus largitor.
Gratum cœlo ſpectaculum,
Ciuitates, menſæ: pauperes, conuiuæ:
Multitudo conuiuarum, quæ cœlo tegi poſſet;
beneficentia largientis,
quæ ad omnes peringeret.
Euangelicorum typum conuiuiorum ſpectaſſes,
Niſi quòd ibi diurna, hîc pænè annua prouiſa
ſuſtentatione.
ibi munera exigua miraculo aucta, hîc magna
generosè expenſa.
Vtrobiq; Socijs IESV adiutoribus inſtructæ
epulæ.

Vt ex ſocijs autor facti noſceretur, in duobus
vnus.

Quis non crederet immortalem hanc
munificentiam?

Inuenit Princeps
quod in ipſa firmaret perennitate,
Perpetuò dotandis egentioribus
fundato Olycæ cenſu.

Tantus amor virtutis Principi,
vt in alijs quoque auro æſtimaret.

Tanta liberalitas,
Vt ne cœlum ſine dote adire vellet.

IMAGO XV

Templa in ditionibus ſibi ſubiectis alia ãplificat, ornat alia, multa de nouo erigit, vt in Capit: Pinſcenſi, Pinſci; in Caunenſi Rumſzyskis; in Velonenſi, Velonæ: At Olycæ, in vrbe hæreditaria, templo, ſacrum Canonicorum Collegium, & Academiæ coloniam addit. templum verò vaſis ſacris è puro auro, amplè ditat.

INSCRIPTIO.

Vicino Deo, tuta omnia,
Domeſtico, tutiſſima.
An verò alienus ab eo quod incolit?
aut Domus eius alibi, quàm vbi degit?

Abi-

Abite profana fanorum ludibria, & ſimulata
ſimulacra.
Templa, Numinis veram ſedem veneramur.
Vniuerſum non negamus,
Domeſticum habemus ſemper Numen,
interdum facimus;
Auguſti id genus ingenij, & Tui
Illuſtriſſime Alberte Stanislae Radiuile
Eadem confinia virtuti, & Tibi,
Virtuti & Deo.
Vt tamen proximum faceres, lateri àdmouiſti.
Nuſquã dominus, niſi diuiſo cum Deo dominio;
Nec poſſeſſor, niſi partitis poſſeſſionibus;
Nec hæres; niſi duo ex aſſe Hæredes.
ô iucunda terrarum monumenta!
Aulas dignas Principe, templa digna Deo!
Sic cultas aulas, vt Deum incolam mereantur,
Sic culta templa, ut Deo incolâ gaudeant,
Principe autore glorientur.
Experiri qui cupit,
Pinſcenſem, Vielonenſem, Caunenſem
Capitaneatum reſpiciat.
Excellit cæterorum gloriam Olyca;
Quidni excellat?
Pulcherrimi certaminis theatrum facta eſt,
in quo contenderetur,
Vtrum naſcentis Principis locus,
Hæreditas Principis, an Dei dici deberet?
Decernite *Glorioſiſſimi Præſules*

 Eru-

Eruditisſimi Academici
Principis Noſtri ac Veſtri ſententia patuit,
Cùm Collegio Sacratiſſimo, Academicæq́;
Coloniæ florentiſſimæ,
aureo adiecto apparatu:
hanc beneficio quæſiuit gratiam,
vt ſibi cenceſſa, Deo redimeret:
aureaque donatus velatæ maieſtatis ſede,
aureis cultus ignibus, circumfuſus fulgoribus
Deus,
aureo ſemper Olycæ reluceret vultu.

IMAGO XVI

Omnium ordinum Religioſæ diſciplinæ addictorum, ſed inprimis Societatis IESV cultor ac benefactor conſtantisſimus. Collegium eiuſdem Societatis Pinſci erigit ac fundat, templo quoque extruendo cenſus asſignat.

INSCRIPTIO

Oderunt mali bonos,
In promptu cauſa
Se quiſque in alio odit, vel amat.
Multis virtus inviſa, quia aliena; cara vitia,
quia agnata.
O bonarum cauſarum, Tribunal peſſimum!
pro ſuo merito demeritoque de alijs decernere.

A-

Apud probos iudices, ſilet vultus, cauſa perorat.
Nunquam rea virtus, coram virtuoſo,
quanquam diſſimilis, aut inſit alteri.
Tuam *Princeps Illuſtrisſime,*
Alberte Stanislae Radivile
Loquimur cum virtute Sapientiam.
Amaſti virtutem, quia coluiſti,
Varia in varijs viſa, non aliena,
Sparſa, non peregrina;
Secreuiſti in Religioſa paupertate, quod aulicæ
miſceres opulentiæ,
in ſeueritate, quod delicijs,
in mancipatu, quod libertati.
Necti diſſita natura non poterant, affectu
iunxiſti,
Ambitus purpurâ
pannoſos nõ excluſiſti Franciſcos, Dominicos,
Ignatios,
Intus erant, dimoueri non poterant.
Dediſti tamen hoc inprimis Societati IESV,
Magnus, Minimæ,
Vt de loco nouiſſimo aduocatam,
in Supremo pectoris collocares hoſpitam.
ac ne de animi ſenſibus dubitaret,
Collegij Pinſcenſis egiſti auctoramento.
Addidiſti templo erigendo cenſus,
beneficio pretium, pretioque beneficium.
Marmore iam tua non ſcribetur, ſed conſtabit
fama,

Sa-

Saxea ad fortunæ impetus, ſacra ad memoriam.

INSCRIPTIO II

Eiuſdem Imaginis
Nomine Collegij Pinſcenſis
Societatis IESV.

Vixiſſe te lacrymamur,
quem viuum ſemper DEO & PATRIÆ
optaſſemus,
ô Parens, & Princeps!
Acerbus gaudij veſtigator luctus,
Si tanto ſæuiret tempore, quanto indulſit,
tolerari vix poſſet:
nunc
tota vno conditur ſqualore *Æternitas.*
Exceſſiſti terris, non cordibus, non animis
noſtris;
conditus tumulo, ſeruatus gratis pectoribus.
Hîc te mæſti ſublatum orbi ſpectamus,
grato vtinam obſequio, quod docuiſti.
Nihil nos tuis beneficijs par ſpondere
poteramus,
nihil Tu Tibi promittere.
Pectoris placita, placeat ſinceritas,
Mancepſque grati ſtudij animus.
Sequemur minimè coacti, quo Te maximè
inuiti dimiſimus.
Neque tamen à Tui memoria diſcedemus.
Suc-

Succedet ſera abeuntibus poſteritas:
& quæcunque diu aduenerit
Tua noſcetur.
Te corde, Te vultu, Te vitâ, & Perennitate ſua
referet,
Viues vnus in omnibus.
Omnium in vna ætate Collegij Pinſcenſis
ætatum, Fundator.
Quod ſi Superis aliqua terrarum cura ſupereſt
vt ſupereſt,
ſpectabis ab alto, glorioſus Tuimet ſpectator
theatrum nobile virtutis & ſcientiarum,
Gymnaſia Iuuentutis eruditioni, à Te Pinſci
erecta ;
Videbis, ad Tuæ imitationem Virtutis,
Gemmantem Integritatem,
Effloreſcentem Deuotionem,
Succreſcentem Pietatem,
Matureſcentem ſanctitatem:
Triticum vtique areæ Domini Tui;
Cui ne funeſta ſuperſeminarentur zizania,
Vigiles poſuiſti Cuſtodes,
Præſidemque Sapientiam,
Creſcent felicia è tali ſatu germina,
brachijs defenſa *Radivilianæ* Aquilæ,
decurſu recreata *Lubomirſciani* Srzeniawa.
Sed heu!
& lætus ille Srzeniawa mæſtis nunc diffluit
lacrymis,

&

Naſciturus in tempore de Matre, natus de
Patre ab æterno
Deus
arçum contriuit, ne è longinquo; arma confre-
git, ne è propinquo;
concipienda læderetur Mater:
Scuta deniq́ue exuſſit igni,
Ne communi iure, contra Iuris Dominam,
communis ſe tueretur hoſtis.
Rurſû igitur arma ſcutaq́ue ſacrantur Virgini,
Ne ira ac vindicta hominis ad illi9 nomẽ valeat,
ad cuius primos aſpectus, totam Deus
depoſuit iram.
Ludens coram Domino omni tempore,
& ploratuum noſtrorum cauſæ temporiſq́ue
ignara MARIA,
peccatum audire non poteſt, antequam
condonetur.
Terribilis vt Caſtrorum acies, armis gaudet
Non nocituris, ſed quæ non nocuerunt.
Ab æterno, & ex antiquis, antequàm terra
fieret ordinata,
alium ordinem non didicit, niſi Deo coæuum
Clementiæ.
Iuſtitia cùm nuſquã Deo abſuerit, ferè cognita.
At
auro ſimul & ferro emicat Principis trophæum.
Ferro, ne vlciſceretur, Virgini appenſo; auro,
poſt iniurias, donato.

A latere ferrum, de latere aurum promitur.
Culpa in beneficium vertitur,
Aliud Marianum Principem non decuit.
Nam & illa,
generis humani ſcelus in beneficium vertit,
cùm immaculatè Concepta,
publicum naſciturorum probrum, ad
vincendum hoſtem tranſtulit.

I M A G O XVIII

Propagaturus ad poſteros virtutū eximia documenta, libros complures eruditione ac pietate maximà: atq; inter eos de laudibus Deiparæ Virginis, & cruciatibus ſpinarum Chriſti, præclara opera edit. Demum eximio operi, rerum ſuo ſæculo in Europa geſtarum, immoritur.

INSCRIPTIO

Vix bonus, qui ſibi ſoli bonus.
Liberalis virtus, more fontis in riuos exundat.
Diſcamus facienda, facto Principis.
Virtutibus vixit, ſcripſit virtutes.
Quem libros piget legere, legat vitam:
Quem vitam, libros.
Et in vita libri, & in libris vita cernitur.
Glorioſior tamen vitæ Panegyris,
idea

ideoque prior.
Magnis conſtent monimenta momentis,
hic jure dubites quibus ?
In maximis Reipublicæ, domuſque maximæ
negoeijs,
Materies ſcriptionis eadem, quæ ſalutis;
Ætati ſimul & Æternitati laboratum opus.
Prodigè vni lucro labor impederetur,
par duobus.
Variatum idioma, ut conſtaret doctrina,
Latinè ad venerationem argumenti Romanæ
Religioni ſacri, locutus,
patrium idioma ad vſum communem
permiſcuit.
Italicâ, Gallicâ, Germanicâ ſcriptione abſtinuit;
Vt doceret, non quantum ſciret, ſed quantum
fieri, cùm feciſſet, optaret.
Capita præcipua librorum, Capita rerum mũdi,
I E S V S & M A R I A.
Altero dum ſpinas ſeruatoris numerat, aculeos
criminum effringit;
Altero dum lilia decoris Mariani recenſet,
lilia de ſpinis educit.
Vtroque (ac cæteris) eam cum pietate
eruditionem claudit,
Quam
Sanctiſſimi Doctiſſimique viri ſuam optent,
Principis noſtri admirabundi profiteantur.
Tandem pigeat non eſſe pium,

vbi tam grandi teſtimonio,
Pietas ſuadetur ab aulâ.
Latè Te Tua per eruditos calles, circumducet
peregrinatio,
Nicolae Radiuile, Palatine Vilnenſis,
Spectator ac ſcriptor Terræ Sanctæ, Grauiſſime:
Iungetur æternus doctioris famæ Comes,
Albertus Stanislaus Radiuilus,
Operi etiam de ſui ſæculi geſtis in Europa
meditato,
ne tot operibus æternitatem nondum meruiſſe
videretur
immortuus.

IMAGO XIX

Ætate meritiſque grandis morbo Gedani arripitur, atque ad vicinam mortem diuturnâ tolerantiâ ſe diſponit. Poſt obitum à Sereniſſimo Ioanne Caſimiro Rege Poloniarum inuiſitur.

INSCRIPTIO

Habent & merita ſuam ætatem.
Quamuis nunquam ſeneſcunt, aliquando
deficiunt.
Senij locum mors, mortis, præmium obtinet.
Capitis decus, terrarum propago flores,

Coelicus honor, humanarum mentium ſoboles,
virtus.
cùm maturuerint, nectuntur in coronam,
aureo filo ætatis.
Nuſquam tamen hoc ſertum citra cupreſſum
conſpexeris,
Fatalis terræ appendicula,cœlo triũphalis, eſt.
Supremum meritorum Coronamentum.
Vixeras Princeps, vixeras.
Satis Tibi, ſatis meritis, parum deſiderijs
noſtris,
cùm heu!
triſtis è cœlo demiſſa cupreſſus,
fatalem Tibi Gedani indixit diem.
Pulchrum erat
intra vrbem ſeruatam, Seruatorem Patriæ.
intra annulum fidei, Gemmam fidelitatis,
intra ambitum conſtantiæ, Atlantem Lituaniæ
occũmbere.
Pulchrius
Luce Lechica
Sereniſſimo IOANNE CASIMIRO Rege
Poloniarum
poſt occaſum illuſtrari.
Pulcherrimum,
à Corona egredi ad Coronam;
à ciuica, ad Triumphalem.
Hinc exire, ſeruatæ in patriam fidei Regio
inſignem teſtimonio

eo peruenire
inuiolatæ in Deum obſeruantiæ
glorioſum iudicio.
Ibat, ibat Heros
Securus conſcientiâ, hilaris expectatione;
Territa mors, dum non timetur,
diu impetum diſtulit, integra Principis
vigilantia,
diu morbis præluſit, integro robore.
Age glorioſe athleta,
Vt morti cedas, non concedes.
Comitem te, non captiuum habebit.
Multum intereſt,
Mors aliquem rapiat, an aſſumat.

IMAGO XX.

Poſt vitam integerrimè actam, ſingulis diebus in morbo ſupremo animum confeſsione expiat, bis interdum ac ſæpius eandem adhibet. Pari quoq; vigilantiâ mentis, SS. Euchariſtiâ pænè quotidie reficitur. Tandem deſiderijs cœleſtis patriæ anhelans, Patres Societatis Ieſu lectulo aſsiſtentes bis allocutus: Quid facitis ô Patres mei, cur orationibus veſtris diſceſſum animæ meæ ad videndum Deum retardatis? in Domino quieſcit.

INSCRIPTIO

Adeſte mortales

Ingens ſupremæ ſapientiæ panditur theatrum,
Schola, Palatium: Præcepta, exempla.
Diſcite bene viuere, diſcite bene mori;
Silentio vocis, profeſſione mortis,
Illuſtrisſimi Principis
Alberti Stanislai Radivili.
Occaſum tuum ô Princeps!
Cum ſole fulſiſti, cum eodem occumbis;
Diem geſtaſti pectore,
Veſperum ſpontaneis induis tenebris.
Innocentiæ perpetuus defenſor, tandem
accuſator factus,
ream ſtatuis ante tuum Tribunal,
An aliter Cancellatius mortis, quàm vitæ
iudicabit?
Dicat ignarus
Innocentiam minimê ream inueniri, cùm
maximè accuſatur,
Probatur, non damnatur virtus examine.
Quàm iuſtè in alienis cauſis Supremus
iudiciorum egerit Præfectus,
tum maximè oſtendit,
Cùm ſe ſuæ ſubijceret accuſationi;
Diuinæ ſententiæ.
Sæpius quoque in dies virtus accuſata,
& ſine culpa inuenta.
Damnabatur opus ab autore, probabatur à iudice
Heu quantùm premunt lapſu caduca!
minima, æternitatis pondere incumbunt.

Vi-

Vitauit Princeps onus, pio ingenij aſtu.
Egreſſus mente mortalitatem, antequam hæc conciderer,
ingreſſus immortalitatem, antequam illa premeret.
Grande pariter longumque iter, vt breue faceret,
ſecum detulit, ad quem properabat Deum,
in via terminum, in progreſſu finem.
Formidaſſet vtique Iudicem,
niſi meruiſſet diu Amicum.
Felicis amicitiæ, felix oblatum ſæpius inſigne,
Vmbra panis, fœderis inter Deum ac homines robur.
Velamen candidum, pignus ſortis candidæ,
Calculus albus Æternitatis.
Hinc illæ deſideriorum flammæ, hinc anhelitus animi
ad libertatem perennem eluctantis,
Quid facitis, inquiebat,
diſceſſum animæ meæ ad videndum Deum,
orationibus veſtris retardatis!
O vocem Æternitatis Candidato dignam!
O animi, virtutis conſcij teſtimonium ingens!
O religioſiſſimo in Principe, portentũ audaciæ!
Vrit oculos, incluſus cordi Deus:
Videri vult cùm amatur, amandus cùm videbitur;
Hoc circulo felix æternitas gyratur.
Prin-

Princeps noſter iam rapitur,
Abite mortales
& gyro volucris vitæ inſcribite;
Bene vixiſſe, bene mori, bene mori,
bene vixiſſe
bene vixiſſe, & mori
Æternum vivere eſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PANEGYRICVS

In laudem Illuſtrisſimi Domini, D. CASIMIRI LEONIS SAPIEHA *Comitis in Bychow & Sapiezyn, Procancellarij M.D.L. Orſenſis, Volpenſis, Berezinenſis, Præfecti ex, Iuris utriſq; in Alma Academia Vilnenſi, Fundatoris, in funere eiuſdem, nomine Collegij & Academiæ Vilnenſis. ſub titulo* Phœnix Lituaniæ 1659.

PHŒNIX

Orbis Lituani.

Tandem credere cogimur *Illuſtrisſimum Caſimirum Leonem Sapieham, M. D. L. Procancellarium &c.* mortalem vixiſſe, quem immortalem virtus meruerat. Hem Su-

pe-

peri! Quot in vno Patriæ ciue, Ciues; in Senatore, Senatores; in Heroe occubuerunt Heroes. Scilicet ruente in occaſum Republica, occidiſſe debuit: qui viuere, niſi illa ſtaret, noluit. Vno, cum Matre condi elegit filius tumulo: vt quo ille aſpergeretur cinere, eo non attingeretur, nec premeretur Mater: immò mortui Cinis, aut ſibi, aut Matri, tandem vtriq;, vitæ parens eſſet. Cinis, nunc eſt, quòd delicioſum Orbis ſpectaculum fuit: cinis eſt, quòd portentoſum Animi & virtutis Domicilium: ſed non infelix Cinis, è quo immortali vita digniſſimus PHOENIX enaſcatur: atque ſimul vitam Magnæ Matri Reipublicæ, meritis aſpiret. Victuros diu, tantiſper victuri compellamus! Videte, vt PHOENIX noſter virtutibus raris ſurgat: vt altè volet, vt aſpectus admirationemq; volatu rapiat! Si tantus impetus eſt poſthumæ virtutis: quantum fuiſſe credetis præſentis? Sed hem iterum ſuperi! Quàm fruſtra verbis luditur dolor! Quantos in tam graui, debemus gemitus caſu? Oculorum ploratus, Populi; pectorum ſingultus, Senatus; Cordis dolor, tota Patria eſt. I perge alto volatu, meritiſſime virtutum PHOENIX; nobis id ſolùm reſiduum eſt, Te ſæpiùs reſpiciamus: ſæpiùſq;, nobis erepto illacrymemur.

PHOE-

PHŒNIX
Orbis Lituani
Illuſtriſſimus Dominus
D. CASIMIRVS
LEO SAPIEHA,
M. D. L. Procancellarius
ob raram
Summæ Magnitudinis cum ſumma Humanitate ac Demiſſione coniunctionem.

Magnus vixiſti
CASIMIRE LEO SAPIEHA,
nec minor Te iaces.
Magnitudinis menſura, Dignitatis Magnitudo.
Cineribus conditur flamma, non perimitur,
& Morte Virtus.
Si truncus Magnum verè facit, faciet Paruum
Cinis:
at vtrumque
aliud eſt, quàm quod in homine Magnum, aut
Paruum eſt.
Ortus *Sapiehanus*, Sol Meridianus;
Alter lucis, Gloriæ alter radijs *Illuſtriſſimus.*
Fons Sanguinis,
Fons Honoris, & Virtutis.

Exordia, ſi inquiras; laborem perdis.
Si ſpectes,
Per vaſtiſſima Regnatricis in primis
Iagiellonibus
Lituaniæ littora;
Per ampliſſima Principum Poloniæ
ac Lituaniæ
Familiarum confinia;
Per Auguſtiſſimorum Reipublicæ officiorum
decora,
euolui videbis.
Niſi originem nemo quærit, quia nulli
dubia eſt.
Parui fontes, notis clauduntur marginibus:
ingentes,
oculos amplitudine ſuperant.
LEONE Patre,
Supremo in M. D. L. Palatino, ac Duce,
non degener editus LEO;
CASIMIRI gratum incolis Nomen, infans
aſſumpſit:
hoc eſt,
præſagium Humanitatis, Magnitudini
iungendæ, dedit.
Diuinis deinde abluendus aquis,
Sereniſſimorum REGVM POLONIÆ
exceptus manibus:
A DEO & REGE, pro DEO & REGE initiatus!
Dignum ſanè viſum Onus, quod ijſdem,
qui-

quibus Reſpublica,
geſtaretur manibus;
datuſq; ſenſus triumphalibus palmis
cognoſcendi in Infante, Pondus Salutis
Publicæ.
Quidni cognoſcerent?
Cùm puer Reipublicæ natus, Salus Publica
futurus eſſet;
quàm deinde ſuſtinuit,
Opibus, Auctoritate, Coſilio, Armis, Corpore,
Animo,
Vita, Morte.
Tantam ſemper HEROS noſter Rempublicam
animo aluit,
quanta in ſe eſſet:
Tanta illa fuit, quantam hic fouit.
Par Magnitudini Publicæ, Magnitudinis
Æſtimatio:
Pares Curæ, Æſtimationi.
Neq; ætas, iniuriam prioribus iudicijs inferre
potuit,
Virtuti intra ipſa ſacrorum arcana
domicilium ſuum, quàm ſanctè, ta m magnificè
ingreſſæ.
Viſa eadem cùm ætate creſcere,
Publico iudicio & grandibus Titulorum
inſignibus deſignata.
NOTARIVS imprimis M.D.L. dictus
Adoleſcens, viris paria egit,

Nec clementiores tabulas, nec æquiores rei:
quàm nomine grandi, CASIMIRI SAPIEHÆ
notatas,
deſiderare poterant, aut deſiderarunt.
Non ſegnior tum Calami, quàm deinceps
Gladij
Arbiter,
in nullius vulnus ſtrinxit aciem, quàm in
vulnus feriendi.
Mareſcalcus inde Regiæ Curiæ,
virtutibus, paſſus altiùs promouit.
Si ſequi alios debuiſſet, non præire non
poterat.
Præire Principes iuſſus, continuis Meritis
gloriam Magnorum ſuperabat.
Non defecit aſcenſu, virtutis Heroicæ
impetus.
Humili, Collis: pro Alpibus eſt.
Cui Auguſta virtutum placuêre inſignia, luctâ
animatur.
Nihil anguſtum, Auguſto eſt pectori.
Hoc impetu ferebatur *Sapiehana* virtus.
Oculorum Regiorum felix Meta, & Fax
Amorum:
Curiam in oculis, Patriam in pectore ferre
demum viſus.
Vtriuſq; plauſu, & gratulatione,
Procancellarius M. D. L. proclamatus.
Abeſte fabuloſi Apollines!

ſub-

ſubſultantia ſaxa, rupeſq; longè abire!
Sapieha Caſimiro Procancellario dicto,
Populus, Nobilitas, Senatus, Iura, Affectus, Corda,
tota deniq; ſubſilijt Lituania, ac Polonia.
Commune bonis indictum Gaudium,
ſoli obriguêre improbi.
Gaudere ſcilicet non poterant, quòd odiſſet virtutes, vitium.
Obmutuiſſe neceſſe erat,
quòd non inueniret audacia, vituperium.
Quis tum nouum non ſuſpexit Curtium?
non Ceris ſolùm Lituaniæ preſſum, ſed in
LEONE
Caſimiro Sapieha rediuiuum.
Deuotum Patriæ Caput, & Curtiano felicius,
quòd chaos licentiæ immane, occludere vna manu poſſet:
& Se Patriæ ſeruare.
Adhuc ſubſilit Eques Lituanus, gauiſus Sapiehanæ manus
frenis,
inſignibus inſolentiæ compeſcendæ,
moderandæ virtutis inſtrumentis.
Liber illi vaginâ gladius,
Procancellario animus,
nunquam iniquioris amicitiæ, aut
pollicitationum dolo interceptus.

ſed ferreus Gladius, Aureus, Animus eſt.
quando aurum, illicitamentum vitiorum,
in decus virtutis tranſijt:
& contemptus color cupiditatis,
excanduit in Magnanimitatis Ornamentum.
Nunquam ſub *Sapiebano* Sigillo,
preſſa Libertas, nunquam Innocentia
ingemuit:
Ceris adamante durioribus,
immutatum Publici ſtudij vultum retinente.
Si vita producta ſimul fuiſſet,
Parenti olim *Cancellario, & Procancellario*
Filio:
dubitari poterat,
quem Publica Stemmata potius imprimerent?
niſi quòd meliori ſenſu,
Pater in Filio, & Filius in Patre noſceretur,
Filius, Imago Patris eſt;
Multis naturæ, *Sapiebis* virtutis expreſſione.
Supremos in Lituania titulos, ſæpe, & ex
merito Sibi oblatos,
conſtanter recuſauit.
Nunquam tamen effecit,
ne tantus uideretur, quantus haberi
merebatur.
Creuit etiam honoris contemptu,
ſupra id quod maximè ambiri poterat,
animo euectus.
Tantus certè habitus,

vt pares pauciſſimi: Melior, nullus.
Ehem PHOENIX Lituane!
quæ Tibi memor Poſteritas non debebit præconia?
In ſumma Fortuna, nulli graui:
In ſummis Opibus, nulli iniurio:
In ſummis Honoribus, nulli faſtuoſo:
In ſummmis Amoribus, nulli ficte blando:
In ſumma Potentia, nulli ſuperciliοſo.
Liberalis vultus, facilis acceſſus, comis ſermo,
Communem Te omnibus fecerant,
ſine detrimento Grauitatis:
communes omnes Tibi, ſine præiudicio Auctoritatis.
Impendiſti benigniſſimè affectus, vt raperes:
Indulſiſti amorem, vt amareris.
Raro vt Bonæ fortunæ, ita Magnæ: cum bona mente conuenit.
Tu nec fortunatus Tibi viſus,
Niſi alios fortunatos faceres:
nec magnus, niſi omnibus Par eſſes:
Amare Te, an venerari deberemus? non dubitauimus;
Vtrumq; penſum, debitum fuit.
Docuiſti inuſitatam affectuum coniunctionem, exemplo.
Curis, beneficijs, clementiâ Tuâ, nemo indignus habitus;
Vo-

Votis, præconijs, Cordibus omnium, Tu
digniſſimus.
Patens Tibi ærarium, tritum humiliorum calle
Palatium.
Satelles dignitatis ſtipator, non Exactor
ſeruitutis.
Ex toto Leo,
cùm vel ex vngue eſſe poſſes,
nec digito læſiſti innocuos: nec humero
preſſiſti imbelles:
nec Corde repuliſti Orphanos:
Amor Publicus Ciuium.
Tollite ſepulchrale Marmor,
Corda tumulo ſubſtituimus.
Barbarus rigor ſit, qui ad horum attactum
cinerum, non lenteſcat,
quibus ſopitur clementiſſima Pietas.
Profundiſſimo mergatur ſaxum Oceano, quod
huic graue ſit,
qui
Neminem Iniuriâ Preſsit.

PHOE-

PHOENIX
Orbis Lituani
Illuſtriſsimus Dominus
D. CASIMIRVS
LEO SAPIEHA
M. D. L. Procancellarius &c.
Ob Rara
Togæ, Sagiq; decora in ſe collecta.

Tandem pleriſque,
poſteaquam ſegnes viuere placuit, placuit
ſegniter ſentire.
Excluſæ virtutes Animo, prohibentur iudicio;
Alios Togæ, Sago alios quærimus Viros:
Veteri Maiorum more,
eiuſdem Romæ Ciues, Togâ & ſago vſi.
Fronte caret Numen, quod bella tantùm, aut
pacem proſpectat.
IANO biceps Caput eſt,
cùm Reſpublica petit, aperturo: cùm
deprecatur, clauſuro
bella.
Nec decet Sagum quem non priùs Toga
cinxerit;

Nec Toga, quem non Sagum commendarit.
Moderata ſit neceſſe ſitis ſanguinis;
Nimia, cũ extingui nõ poſſit, exurit, & ſuffocat.
Si ſanguis tantũ ſititur, sãguis tãntùm bibitur;
Si ſanguis bibitur,
Ferarum præda, non hominum genus ſumus.
Miſcenda lenia duris, mollia crudis, togata ſagatis.
Diſcamus pace, quod promamus bello:
agamus bello, quo ornemur pace.
Quies otioſa, vitium exprobrat; Pax immerita, ignauiam.
Non tegit, ſed prodit, Longa toga, Breuem Virtutem.
O fortunata Patriæ tempora!
quibus
nec in Caſtris Senatus; nec in Senatu Caſtra deſiderata.
Non inuidimus Romæ,
tot Reges, quot Senatores:
quoties ſpectauimus,
tot Sapientiæ ac Martis *Hercules*:
quot Patres Senatûs.
His per omnia parem,
Certa ſcribet Poſteritas,
Illuſtrißimum Caſimirum Leonem Sapieham M. D. L. Procancellarium.
Ex vtroque Heros,
Pacem coluit vnicè, bella fortiter geſſit;
Vtri-

Vtriuſque iuſtus oſor, ac Amator.
Pace parauit animos, bello prompſit;
Pace bellauit, triumphauit armis.
Erudita contra ignauiam virtus,
quicquid quieti præſenti vindicauit, labori
Futuro addixit;
nunquam laſſata, cùm quiete laboraret.
Profuturus omnibus ſeculis,
vni viuere noluit.
Venturis, pro præſentibus vſus,
effecit, vt aut non venirent: aut vt no
incognita, ideoq; minùsſæua
venirent.
Prima circa Bonum commune induſtria,
Ne paratis quæ Hæres inuenerat,
Solùm prodeſſet Patriæ:
quæſiuit noua.
Nequæſitis obeſſet,
diuturnæ apud Exteros peregrinationis
indagatione,
ſolam virtutem domum reuehendam elegit.
Quocunq; peregrinus iuit, Se tulit:
Quocunq; acceſſit, Se inuenit;
Vndecunq; regreſſus, Se retulit.
Tandem
Magno Miraculo,
Orbe peragrato, à ſe non defecit.
Belgium illi poſt Lituaniam,& ſocietatis IESV
Magiſtros,

Sa-

Sapientiæ Mater.

De Puteani abundiſſimo puteo,

Sapiehanarum Artium

Nilus fuſus.

Loquendo tamen, an Agendo præſtiterit,

difficile definitu.

Certum eſt, quicquid benè dixit: meliùs

præſtitiſſe.

Sagax in obſcuris & difficilibus, Ingenium;

Expedita in anguſtis, mentis Libertas;

Aperta in ſalutaribus Conſilijs Frons, &

Animus:

Conſilia cùm panderet, concludebant;

& uel ſolo

perſuadebant dicente.

Memoretur Lituanus Caſtor

Illuſtrisſimus D. Ioannes Stanislaus Sapieha

M. D. L. *Mareſchalcus*

glorioſo imperatoris Ferdinandi elogio

Os Sarmatiæ Aureum

nuncupatus.

Habebit Germanum ſanguine & merito

Pollucem

Illuſtrisſimum Caſimirum Leonem Sapieha,

M. D. L. Procancellarium,

Aureum Os, & AVREAM Mentem Lituaniæ,

habitum.

Tullium eloquio, Catonem grauitate,

Metellum innocentiâ.

Si

Si Patria pro ſe loqui potuiſſet,
alia oratione ac animo quàm, *Procancellarij* viri
noluiſſet.
Locuta etiam creditur,
quando Comitiorum Regni Publicorum
Præfectus,
Licentiam & Seruitutem,
Fatalia Orbis Poloni *Extrema*,
à libertatis veræ iniurijs repreſſit.
Pro omnibus, cum Optimis concluſit,
Nemine tamen Repugnante,
S E
quia *Sapieha* conſentiente.
Optimus inter Pares
Solis Lechici radius, & Radiorum Centrum:
ô quanto per diſſita laudum Spatia irradiauit
fulgore!
quantuſq; per Moſcouiam ſpectatus,
Vladislai IV. *Regis Poloniarum Sereniſſimi*
&. totius Reipublicæ,
Magnus Legatus.
Senſit in radio Solem, in Legato Regem,
In *Vladislao* Rege, *Caſimirum Sapiebam*,
pulla illa Aquila;
&c dignitatem ſplendoris confeſſa,
ꝧ. comitatu Legati, ad gentis gloriam
iudicio translato:
diu

quo-

quóſcunq; magnificentiâ virtutis, & Dignitatis
conſpicuos vidit,
Sapiehanos dixit.
Nihil tamen auguſtius, ipſo ſuſpexit Legato.
Amicus veniebat, hoſtis etiam amatus fuiſſet.
Oleâ oblatâ, laurum accepit.
Vladislai triumphis, *Sapiehaniſque* Curis,
Pax *Æ*terna dicta.
Violator operis infelix Eſto.
At
preſſam mole ſeculorum victricium,
Fatiſcere Polonam magnitudinem neceſſe
fuit.
Felix, quia humeris
Sereniſſimi ac *Inuictiſſimi*
Ioannis Caſimiri Regis Poloniæ & *Sueciæ*
incubuit.
Non ſtetiſſet, niſi ſic ruiſſet,
O Orbis noſtri maiorem Atlante Atlantem!
qui Ortui, Occaſui Meridiei, Aquiloni
ſuſtentando ſufſecerit.
Pugnarint alij cum hoſtibus,
REX NOSTER,
cum fortuna quoq;, & virtute Hoſtium.
Nil mirum, ſtetiſſe tantiſper fata ambigua,
cùm Regiam ſtuperent fortitudinem.
Gaudemus verò ruere prona, cùm adorant
Maieſtatem.
Nihil tandem non inuictum Regi noſtro eſt.
Vi-

Vires, Dolus, Inſidiæ, Bella, Licentia, Robur,
Tempora, Mores,
Regna, Regnorumq; uiciſſitudines.
Perge Triumphali glorioſus lauro ad palmas,
AVGVSTE VICTOR.
Sapiehanam ſine laude Cupreſſum, ne
præterieris.
Hâc hodie donatur
Tuus ille totus, & totus Patriæ,
Caſimirus Leo Sapieha;
Senator Conſilio, Miles Manu, Dux Animo,
& Tuæ Maieſtatis
iudicio.
Diu bellantem reuerita fata, inuasêre quietum,
Viciſſet,
ſi quantum contra Mortem:
tantum contra immortalitatem hominibus
liceret.
Id interea laudis tulit,
Palàm, mortem non auſam aggredi.
Inuictus bellicis periculis, ſuccubuit morbis;
Niſi actum fuiſſet,
Plus quàm hominem ſuſpicari potuiſſemus.
Tutatus Patriam ſemper aureis viribus,
ferreus eidem acceſſit.
Quot cohortes pugnarunt continuò pro uno,
pro totidem ſuffecit Vnus,
ZBOROVIANÆ perfidiæ VINDEX,
Fatorum Victor.

Sæ-

Sæpiùs diſſectæ acies, totidem vicibus ordini & robori reſtitutæ:
Pugnatum ſupra ſex continuas horas, inferioribus hoſte viribus:
Res Polona grauiſſimè preſſa, fortiſſimè conſeruata.
Obſtupuit omninò perfida audacia, ſibi nec dolos, nec vires, contra *Sapiehàm* ſufficere.
Gelidum Scytharum frigus, ſudoribus generoſi Ducis incaluit.
Barbaries cruda, humaniùs ſapere caſibus docta,
Quem malè ſitiuerat ſanguinem, ſuo eluit.
Optaſti prædam prædo;
arcumq́; notato Patriæ amplexibus collo, inijciendum paraueras,
vt tuo iugulareris.
Cecidiſti ſcilicet nobili fato, quia tanti criminis auſu.
Ludit, etiam cùm ſæuit, Mars.
Alium tuetur ſub ictu,
Rapit alium ſub manu.
In *Illuſtriſsimo Caſimiro Leone Sapieha*,
Ludus Martis, Opus virtutis:
Gyrus Fortunæ, Auctoramentum diuini Patrocinij.
Deo vindicatum diem benè credidit,
quo

quo Cælo vindicata, Dei Mater Virgo eſſet.
Diuinis tutus præſidijs, humana non curauit.
Aſſuetam fronti galeam, vacare permiſit:
Aperto capite, aperto oblatus diſcrimini.
Latere nullum potuit,
Quantum Patriæ vellet.
Aperto capite, aperto vindicatus diſcrimine,
oſtendit omnibus:
Quantum ſibi Cœlites cuperent.
Non eget Clypeo, quem vera munit Pietas.
Robore, non iubis, pugnat LEO.
Fronte petit hoſtem, qui victoriam petit.
Æternùm felices quieſcite Manes,
Sapiebano Nomini ſacratæ victimæ.
Tanti erat vnum *Sapiebam* in fortiſſimâ
pugnâ periclitari,
vt robur Exercitûs, duæ haſtatæ cohortes,
pluresq́; pedites, ſe deuouerent:
Tanti vincere,
vt ſuam ſibi cum illo ſalutem reſtitutam,
Patria iudicaret.
Nec verò ſibi magis, quàm illi ſuperfuit;
Exegit mox inter primos, perfidiæ pœnam à
rebellibus,
ad Bereſteczko:
eo cohortium ſuarum impetu hoſtes
aggreſſus, quo
ipſe in Rempublicam animo eſſet.
Vidiſſet hîc

Ambroſius Spinola verum illud Martis decus,
quod in fortitudinis *Sapiehanæ* exemplis
miraretur.
quemadmodum obtulerat
adoleſcenti *Sapiehæ*,
quod ab obſidione Bredenſi, ſpectator par
Operi, ad imitationem
traheret.
Vidiſſent prodigia illa belli
Ioannes, Leones, Pauli Sapiehæ, quòd ſuum
cuperent;
Alienum certè non erat, quia domeſticum.
Vixiſſes etiam vtinam diu,
O HEROS inclyte nobis:
Vixiſſes Patriæ!
Vt, vota populi ſublatus explere non
potueris,
erat grande, quod poteras;
nimirum
V I D E R I.
Nos ploramus, cùm Te flemus: nobis abſumus,
cùm Tibi.
An etiam Tecum tumulamur?
Multis partibus jam occidimus,
Ne toti occidamus, vel ideò optamus,
Ne Tu in nobis occidas.

PHŒNIX
Orbis Lituani
Illuſtriſſimus Dominus
D. CASIMIRVS
LEO SAPIEHA
M. D. L. Procancellarius &c.
ob Raram
Diuinarum Rationum & Politici, procu ratam concordiam.

DEO, & Patriæ nati,
Non alijs magis vitam noſtram debemus.
Communis ille Parens eſt, hæc Mater.
Si filios ſanguis monet, communia vtriq;
præſtanda officia.
O rudi terrâ, polita ingenia!
quæ Politiam Patriæ decori deſtinatam,
diuinis temerant iniurijs.
A DEO, Reges, ac Regna:
& per DEVM.
Iiſdem artibus conſeruantur, quibus naſcuntur
Imperia.
Anne Probus improbè, aut Improbus rectè
agat?

Quantum de ſincera demitur pietate Ciuibus;
Tantum de conſtanti integritate Ciuitatibus.
Nunquam Regna ſubſiſtunt, niſi Deo nixa.
Quòd ſi ſtare videantur,
Aut fallunt oculos: aut manum expectant,
mox in caſum protruſuram.
Nemo maximè barbarus, qui non Numen
aliquod fingat;
nemo fingit, qui non colat.
Nobis & numen verum eſt, & cognitum non
coli, quis furor eſt?
Cœlo iudice,
geminâ gloriæ Palmâ donaris,
Illuſtriſsime Caſimire Leo Sapieha
M. D. L. Procancellarie;
Cœlorum decori, Terrarumq; commodis
edite.
Probaſti exemplo, firmaſti omnium iudicio,
Sufficere virum Aris, & Curijs.
Tam Rarum!
Quàm Tu.
Qui Curiam tuam inſpexit, Innocentem
Opulentiam:
Qui Socios latetis, Stipatores Virtutis:
Qui Conſiliarios, Regnatricem Sapientiam:
Qui Comitatum, Pediſequam Gloriam:
Qui vitam Deo & Patriæ deuotam, Robuſtam
Integritatem
miratus eſt;

Ma-

Magnis ſemper cogitationibus intenta Mens,
ſine faſtu Purpura, ſine ambitione Curulis,
ſine ſæuitia Faſces.
Pijs immerſa operibus Religio:
ſine ſimulatione Deuotio, ſine fuco Pietas,
ſine vitio Sinceritas.
Conſilia in Senatu ſalutaria, iuxta ac pia.
Sententia,
quâ ſcelus damnari, & innocentia abſolui
gauderet.
Ambitus potentiæ, imperandi Cupido,
Priuata iura,
infra Perſonam calcata.
DEO Duce, ac Comite ſemper vſus,
à Patriæ commodis nunquam diſceſſit.
Patriæ præſidijs intentus,
Diuinarum rerum ſtudia nunquam dimiſit.
Stabunt æternùm
ſacrata Superis Ædium, Templorumq;
monumenta,
& *Sapiebanam* loquentur in Deum Pietatem:
Stabunt Auguſtæ Operum Moles,
& eiuſdem auguſta profitebuntur in Patriam
ſtudia.
Integræ Vrbes, Voces erunt.
Oſtentabit Nouogrodecum inclytum
Mæcenatem,
donato Patribus Societatis Templo, ſuas
ab incendio ruinas

Ex-

Excitantem.

Oſtentabit Breſta beneficum Largitorem,
eximijs auri impendijs, ſacræ Molis erectioni
prouidentem.

Oſtentabit Dzięciołum, ſuum decus;
Pulcherrima, robuſtiſſimaq; murati operis
machina,
diuino cultui ſacratum Templum erigentem.

Oſtentabit Lituania & Ruſſia
totidem Oppidis, quot *Sapieha* poſſideret,
Numinis Maximi cultum, aut inſtitutum, aut
promotum.

Grandior erit Słonimo vox,
Illuſtri Canonicorum Regularium Collegio
aucto.

Quis obſtrepet,
vbi in *Caſimiri Sapiehæ* præconia,
tot Viris, ac viribus, magnus conſurget
Auguſtinus?

Nec tacere poterit ſilentium eloquentiſſimum
Brunonis;
&, ſi ſileat, Bereſa æternas laudes loquetur.

Non ſatis viſum Heroicæ profuſioni,
dotatis Religioſorum hominum,
placare Numen, ornáreq; Patriam
Conuentibus.

A NOVO in Lituánia Ordine, nouum
quæſiuit decus.

La-

Lateat Cartuſiæ fulgor, quæſitis abſconditus
tenebris:
ingens tamen eſt.
Stellatus Bruno, cùm primum ſe Montibus
conderet, viſus eſt:
Lux in tenebris lucens, flamma viuax in
Cinere.
Retinent natiuam Stellæ lucem, etiam cùm
ab hominibus
non videntur.
& aut minimum intereſt, aut lucrum eſt,
terris nigreſcere: dum fulgent Cœlis.
Accedet laudibus
integerrimæ obſeruantiæ deuota Cohors
DRVHÆ fundata.
Interiectu præterfluentis Dunæ, iuncta mirè
beneficia;
Dum ab alia parte, Curlandica,
ab alia Liuonica confinia, pericula
animorum inuehunt:
medius infuſus Fluuius,
prona pijſſimorum virorum delaturus vtriſq;
auxilia.
Rapaciſſimas ũdas, ad geniũ Domini eruditas,
diceres
beneficijs exundare.
Poſtquam ſemel cæpit, continuò fluit
Liberalitas.

Ne ſemper vitæ ſuſtentacula, mendicatò
veniren:
ſemel rogata ſunt.
Ne ſemel impetrata, ſuſceptam vltrò
paupertatem ſpoliarent:
ſemper rogantur.
Minùs beneficus fuiſſet, ſi ſimul dediſſet.
Faſtidit vera Liberalitas ſilentium, gaudetq́;
prouocari.
Additur & pretium precibus,
toties æſtimatis, quoties beneficium obtinent.
Neq́; dubitare de iudicio licet,
Annuæ ſuſtentationis cenſibus obligato.
Neq́; de Liberalitate,
quæ nec ſerentibus, neç metentibus: ſeritur
ipſa, & metitur.
Si vſpiam,
in hac Chriſtiani HEROIS Munificentia,
quærentibus Regnum Dei, cetera adijciuntur.
Pari ſurgit argumento *Sapiebanæ* laudis,
Cætus IOANNIS DEI, Nouogrodeci
inſtitutus;
In omnes partes circumſpecta Beneficentia,
Cùm animorum præſidijs diligenter
prouidiſſet:
Publicos Corporum quæſiuit Curatores,
geminatâ inſuper Prudentiâ:
quod, in quibus auxit beneficia, non
multiplicauit.

Eu-

Eadem manu Mentis & Corporis porrigitur
medicina,
altera minùs prodeſſet.
Grauiſſimus Morbus, in Corpore ſano, Mens
languida;
moleſtus, Mente ſana, Corpus infirmum.
Certiſſimus vtriuſq; Medicus, Qui
Dei eſt.
At ſiſte Calame,
Verarum monumenta laudum ſpectantur
meliùs, quàm pinguntur.
Iaces non inglorio offuſa Cinere,
ô Alma VNIVERSITAS & ACADEMIA
Vilnenſis!
an ad nouam vitam cum PHOENICE Lituano
excitaris?
Cinis Tuus, æternus perfidiæ hoſtilis
Tumulus:
Sapiehanæ Gloriæ monumentum erit.
Durabit, quod impia diruit manus, ſacra,
erexerat.
In ſe ſcelus ſæuijt, cùm ſæuiret in innocuos;
Si minus auſum fuiſſet, latuiſſet feliciùs.
Totius Patriæ Ignibus illuxit, Cineribus ſe
prodidit.
In ACADEMIÆ inſuper ruinis,
notiſſimo furoris vultu conſpectum.
Omnes olim profeſſa Scientias, inclyta
Lituaniæ Magiſtra,
nunc

nunc vnam loquitur Perfidiam.
Tacere non poteſt, quia ſilet.
Neq; tamen vna eſt Oratio, quanquam vnus ſermo.
Qua voce vitium reprehenditur, laudatur Virtus.
Crimen Improborum, Panegyris virtuoſorum.
Audacia Euerſorum, Gloria *Fundatorum.*
I pete altum, tuo impetu,
Illuſtriſsime Caſimire Leo Sapieha,
Iuris Vtriuſq; in ACADEMIA Magnifice FVNDATOR.
Quantum ſcelus hoſtis, tanta Tua laus eſt.
Vt ſit Ætas *Academiæ* interrupta, adépta nō eſt.
Beneficia Tua, ne quidem interrupta.
Vix vllo Cinere feliciùs flammæ immortales Gratiarum foueantur,
quàm ACADEMICO.
Tot emicant ſcintillæ, quot ſcientiarum deſideria:
Tot Tui præconia, quot Literarum vota.
Toto ſui pondere ruens illud Sapientiæ Mauſoleum,
cordibus impreſſit *Sapieham.*
Profundiùs inſeri non poterat, feliciùs quis optaret?
In Corde omnium, COR conditum eſt Patriæ,
O decus operis, Cœlo, Terriſq; digniſſimi!

Ob-

Obſeruatis ex Virtutis præſcripto Iuribus
Diuinis, ac humanis:
ſtabilitas eorundem ex merito procurata.
Profiteri vitâ iuſtitiam, parum iudicauit:
niſi Totâ
profiteretur Æternitate.
Quam malè venalis proſtat hæc ſæpe Virtus:
tam benè à ſui FVNDATORE æſtimata.
Ne diuturnis licitationibus tanquam incerta
proponeretur,
perpetuis donauit ædibus, reditibus, Iuribus.
Diu Veritatem de Terra orituram,
Cupida de Cœlo proſpiciebat, Iuſtitia.
Tandem
Caſimiro Leone Sapieha auſpice,
Inquilinæ noſtræ factæ ſunt.
Prouido etiam conſilio, Iuris Humani,
Diuiniq; Profeſſio,
grandibus Patriæ præmiſſa caſibus,
ne ſcelerum deeſſet, Conuictio:
& ne credi poſſent Innocui,
quorum violentiâ, Iura ruiſſent.
Inueniret inſuper ventura Ætas,
Præiudicium criminis in Hoſte: Meritum
Facti in Patriæ Ciue.
Auſpicium operis, Triumphus geminæ
virtutis,
Cultûs in Deum, obſequij in Patriam.
Dum ingenti ſcelere oppugnatos in ſuis
ima-

imaginibus, tuetur
Cœlites:
dum Religione defenſa Patriæ, conſeruat
Patriam,
Paucis Iuris ac Æqui inuentis tutoribus; quos
ſequeretur:
prouidit plurimos, qui Se ſequerentur.
Hem hominum audaciam!
Dum pariant Hydras, contemnunt Hercules;
dum impleant Cunas, demoliuntur Cœlos.
Sacrum D. Michaeli Vilnæ Templum,
obſtetricantibus oppoſitum ædibus:
Fæcunditatem quæſitam, Angelica puritate
oppugnare viſum.
Poſt fremitum poculorum, ventum ad
pugnam Sagittarum.
Hoſtis, DEvs: acies, aduerſæ Diuorum ſacræ
Effigies.
Quis hic non vltrices Cœlo dexteras
expectaſſet,
niſi Vindicem iniuriarum elegiſſet *ſapiebam*
Deus?
Egit hic tantum, quantum Cœli optarant.
Summis viribus, potentiſſimis clientelis,
grauiſſimæ auctoritati:
pares opes, potentiam, auctoritatem cum
oppoſuiſſet:
Iuris & Æqui
agnitus eſt, antequam videretur, Fundator;
In

In Se primùm legi voluit, quod de Se deinde
diceretur.
quemadmodum
In Se geſſit, quod pro Se, obiturus, DEO,
Patriæq; offerret.
Vitæ dixeris Immortuum.
Nam vitæ Cauſa, Mortis Occaſiô.
Non potuit meliùs mereri vitam, quàm
meruerit mortem.
Occidit, dum occidentibus Auroram
accendit.
Ad perduellis conſpectam imaginem
ſeruitutis, expirauit.
Auertite oculos Poſteri!
Inauditum in Patria exemplum, Patriâ ſibi
facta,
Priùs ſe perditam vidit, quàm proditam
ſenſit.
Defluxit Purpuris natalis rubor,
qui ſuperfuit: ſanguis Ciuium fuit.
Nec alio militares rubuêre Sagi, aut bellicæ
paſtæ Aquilæ.
O T V A M
Illuſtriſsime Caſimire Leo Sapieha virtutem!
Vnus in paucis, DEO & Regi fidus; pro DEO,
& Rege firmus;
cum DEO, & Rege Victor.
Vt nondum depoſita ſint arma, dudùm
triumphat Cauſa.

Pren-

Prenſat ſupremis digitis excuſſas è plena manu
Prouincias hoſtis;
& quicquid tangit,
Fidem *Sapiehanam* palpat.
Niſi *Sapiehanus* ſol luxiſſet,
Æterna nox Patriæ metuenda erat.
Fatentur id,
qui omnia circumſpexerunt, vt Patriæ
prouiderent:
neq; Pharon ad quam ſe reciperent,
inuenerunt:
quàm *Sapiehas*,
Illuſtriſsimum Paulum Sapiehan,
nunc Palatinum Vilnenſem, Supremumq;
Exercituum Lituaniæ Ducem:
Illuſtriſsimum Caſimirum Leonem Sapieham
tunc *M.D.L. Procancellariũm.*
Grande virtutis iudicium,
Vnus omnium de virtute conſenſus.
Grande decus Gloriæ,
Vna omnium, laudibuſq; iiſdem imbuta lingua.
Si magnum eſt dici,
H I C E S T
quantum erit, *Hic Solus eſt?*
Tantus pugnat Dux, tantus obijt
Procancellarius.
Ille felix Lauro, hic glorioſus ipſa Cupreſſo.
Fatalis hæc, vt ſit Arbor,

Fata virtus non timet.
Tumuli Heroum, Monumenta Laudum.
Vixiſti *Caſimire Leo Sapieha*, vixiſti!
Virtutibus, Opibus, Armis, Animo: DEO &
Patriæ deuotus.
viues quoq;immortalis ô PHOENIX Lituaniæ!
Quoties rebellis miles, per Te officio
reſtitutus, Sacra tuetur,
Tu DEO dicaris:
Quoties Patriam propugnat,
Tu pugnas.
Inſonat altè, inſonabitq; æternùm, Tua illa
plena Pietatis
in DEVM & Patriam Vox:
Pugnarent conſtanter pro Aris, tuerentur Focos:
Patrimonium amplum tuum, in ſtipendijs
numerarent:
Te promiſſorum obſidem haberent.
Hoc Claſſico, excitata Fides: hâc Tubâ, erecti
Animi.
Hic clangor totam exercet Patriam,
Perennemq; exercebit Gloriam.
Obſidem Te pro Religione & Patria voluiſti?
Obſidem Nominis Tui Religionem & Patriam
habebis.
Quamdiu ſteterint,
MONVMENTVM TVI STABVNT:

PANE

PANEGYRICVS

In laudem Illuſtriſsimi Ducis in Kowel & Reuerendiſsimi Domini D. *HIERONIMI SANGVSZKO Epiſcopi Methonenſis. Vilnenſis Suffraganei, ſub titulo* Tiara duplex 1645. *nomine Academiæ.*

NVnc demum verè intelligimus, atq; exultantis lætitiæ fortunata gratulatione profitemur, animorum deſideria, gaudiorum eſſe ſemina; Dux & Præſul digniſſime. Hæc nimirum Præſulea tua dignitas, qua diei auſpicatæ, lumen affundis; hic, diuinæ poteſtatis particeps honor, quem terrarum commodis elargiturus, recipis; eruditione fælici, mentes noſtras inſtruxit: cùm votorum magnitudinem, ampliſſima fæcundaret hilaritatis meſſe, & expectationis tædium, pari ſolaretur voluptate. Reuócas, hodierna luce ſuſceptis meritorum præmijs, actos retro menſes, conuertis ſpectaculi gloriâ, præteritos ſoles; hos, vt au-

cta illuſtriſſimis tuis ſideribus die, dubiũ ſpectantibꝰ facias; illuſtrior ne tua dignitas, geminis, ducalis ac Præſulei ſplẽdoris, circũfuſa radijs, illuxerit orbi, an ſol cœlo? illos, vt ãbiẽtiũ, tuã dignitatẽ deſideriorũ, præſẽtibꝰ expleas ſolatijs, cupiditatẽ. Parce verò voci, quòd ſolem cœlorũ, Te terrarũ ſiderus dixerĩ. Reuoco cõfeſſione errorẽ. Et ſol cœleſte ſimul ac terrenũ ſidꝰ eſt; incolit cœlos, terras autẽ illuſtrat: & tu, cœlitũ mortaliũq; decus; è cœlis, dignitatis ſacræ lumẽ trahis, in terras ſpargis. Quẽadmodũ itaq;, eiuſdẽ exortꝰ Phæbi, ſẽper quidẽ gratus hominibꝰ illuceſcit; lætior tamẽ, & noua veluti luce iucũdior, fatigatis expectatione oculis emergit: ſimili euẽtu, diuturnis õniũ deſiderijs, exoptata promiſſi tibi honoris gloria, adeo temporũ morâ, indefeſſos irritauit animos; vt ad primã Põtificalis Tiaræ allatæ famã, deſideria in lætitiã, vota in gratulationes verterentur: in publicas deniq; erũperẽt apprecationes, cũ digniſſimũ, feliciſſimũq; Præſulem, diuerſorum affectuum, nulla confuſione; ſibi, M.D. Lituaniæ, mortalibus, ſuperis, gratularentur. Optauerat ſcilicet, Tuæ celſitudinis ſublimitate, ſuum attolli faſtigium honor; qui tameſi cœlo originem ducat, ſupra humanæ dignitatis apicem non aſſurgit; niſi tui ſimilem; Deoq;, animi meritis proximum, gerat. Optauerat, ſacer Perilluſtrium Principis Ecleſſiæ Vilnenſis Præſulum

cætus, tuo ſplendore ab alto illuſtrari; inter quos cum verſareris, tametſi vmbram demiſſionis ac humanitatis ſingularis ſpargeres, illuſtriſſimus tamen ſemper apparebas. Optauerant deniq; vniuerſi, ducale tuum diadema, Pontificiæ adiungi mitræ; quam tu à virtute acçipere merueras; quemadmodum illud à natura. Honor, benè meriti nomen & gloriam attollit; indigni pedes. Amant ſidera lucem, nec lunam fugiunt, ſed ſtipant. Diadema gentilitium caput coronauerat; Præſuleum, eſ ducatam ſub illo, coronare debuit pietatem. O quàm præſens Numen diuum pectus *Illuſtriſſimi Abrahami Woynæ* Epiſcopi Vilnenſis inhabitare cenſendum, cui tam concors cum cœlitibus ſententia & electio! Cognouerat ille, ex ſanctioris ſcientiæ cumulata perfectione, certiùs verò ex ſuarum virtutum exemplis, eum tam auguſtis muneribus admouendum; qui Prudentiæ, Vigilantiæ, Pietatis ſuæ imitatione, Dei poteſtatem, non titulo præferret, at ſuſtineret officio. Retulit conſilium ad ſuperos, cauſam propoſuit; vt ſuo honori, ſuæ dignitati parem, dicerent Præſulem, exorauit: cum numine afflatus diuiniore, Te reſpexit, in quem, iam ante, ſuperum ſuffragia inclinauerant. Num diutius hæreret? cum tuo ore ac vultu, ſacrum neſcio quid, ac non niſi diuinum ſpirares. Vt enim cupias, vt ſtudeas;

non

non poteſt virtus celari, quin prodatur. Magna eſt eius vis, magnum decus. Spectatur dum latet, lucem vibrat, cum tenebris ſe infert, loquitur dum ſilet, laudes ſuas dicit, dum fugit. Virtus optima eloquentiæ magiſtra eſt, & ipſa vox, ipſa oratio, ac glorioſiſſima Panegyris ſui. Hæc, cum pro te tuiſq; meritis peroraret, num non exaudiri potuit? Habemus vobis gratias o cœlites! Habemus tibi Illuſtriſſime *Abrahame Woyna*! quod in noſtra vota, conſenſu iueritis, eumq; dixeritis Præſulem, quem vniuerſi ambiueramus; correcturi procul dubio, euentu cogitationes; ſi ab illo declinaſſemus. Salue Princeps, & Præſul! ac ne nomina murem, quæ tua virtus dignitaſq; in unum coniunxêre; ſalue bis Princeps, ſæpius magnè, ſæpius digne, cœlitum atq; hominum ſuffragijs. An ſuperi aliquem præferrent Tibi, quem gratum merita, meritum conſtans virtutis ſtudiũ ſtudioſũ virtutũ, perpes earũ cultus teſtaretur? aut nos, auerteremur votis ab eo, qui & dignitatem ſuſceptam ferret & dignitati authoritatem facere poſſet? Fatemur libentes, ſacrum hoc faſtigium, ſublime virtutum eſſe theatrum, ſanctitatis fulcrum, diuinæ vicariam ſedem maieſtatis; at ſi illius gloriæ, viri par adiungatur dignitas, nonnè incrementum maieſtatis ſumet, altiuſq; aſſurget? Plurimùm profecto authoritatis ſplendoriſq; honores diuini ſu-

nunc vnam loquitur Perfidiam.
Tacere non poteſt, quia ſilet.
Neq; tamen vna eſt Oratio, quanquam vnus ſermo.
Qua voce vitium reprehenditur, laudatur Virtus.
Crimen Improborum, Panegyris virtuoſorum.
Audacia Euerſorum, Gloria *Fundatorum.*
I pete altum, tuo impetu,
Illuſtriſsime Caſimire Leo Sapieha,
Iuris Vtriuſq; in ACADEMIA Magnifice FVNDATOR.
Quantum ſcelus hoſtis, tanta Tua laus eſt.
Vt ſit Ætas *Academiæ* interrupta, adépta nō eſt.
Beneficia Tua, ne quidem interrupta.
Vix vllo Cinere felicius flammæ immortales Gratiarum foueantur,
quàm ACADEMICO.
Tot emicant ſcintillæ, quot ſcientiarum deſideria:
Tot Tui præconia, quot Literarum vota.
Toto ſui pondere ruens illud Sapientiæ Mauſoleum,
cordibus impreſſit *Sapieham.*
Profundiùs inſeri non poterat, feliciùs quis optaret?
In Corde omnium, COR conditum eſt Patriæ,
O decus operis, Cœlo, Terriſq; digniſſimi!
Ob-

Obſeruatis ex Virtutis præſcripto Iuribus
Diuinis, ac humanis:
ſtabilitas eorundem ex merito procurata.
Profiteri vitâ iuſtitiam, parum iudicauit:
niſi Totâ
profiteretur Æternitate.
Quam malè venalis proſtat hæc ſæpe Virtus:
tam benè à ſui FVNDATORE æſtimata.
Ne diuturnis licitationibus tanquam incerta
proponeretur,
perpetuis donauit ædibus, reditibus, Iuribus.
Diu Veritatem de Terra orituram,
Cupida de Cœlo proſpiciebat, Iuſtitia.
Tandem
Caſimiro Leone Sapieha auſpice,
Inquilinæ noſtræ factæ ſunt.
Prouido etiam conſilio, Iuris Humani,
Diuiniq; Profeſſio,
grandibus Patriæ præmiſſa caſibus,
ne ſcelerum deeſſet, Conuictio:
& ne credi poſſent Innocui,
quorum violentiâ, Iura ruiſſent.
Inueniret inſuper ventura Ætas,
Præiudicium criminis in Hoſte: Meritum
Facti in Patriæ Ciue.
Auſpicium operis, Triumphus geminæ
virtutis,
Cultûs in Deum, obſequij in Patriam.
Dum ingenti ſcelere oppugnatos in ſuis
ima-

imaginibus, tuetur
Cœlites:
dum Religione defenſa Patriæ, conſeruat
Patriam,
Paucis Iuris ac Æqui inuentis tutoribus, quos
ſequeretur:
prouidit plurimos, qui Se ſequerentur.
Hem hominum audaciam!
Dum pariant Hydras, contemnunt Hercules;
dum impleant Cunas, demoliuntur Cœlos.
Sacrum D. Michaeli Vilnæ Templum,
obſtetricantibus oppoſitum ædibus:
Fæcunditatem quæſitam, Angelica puritate
oppugnare viſum.
Poſt fremitum poculorum, ventum ad
pugnam Sagittarum.
Hoſtis, DEVS; acies, aduerſæ Diuorum ſacræ
Effigies.
Quis hîc non vltrices Cœlo dexteras
expectaſſet,
niſi Vindicem iniuriarum elegiſſet *Sapieham*
Deus?
Egit hîc tantum, quantum Cœli optarant.
Summis viribus, potentiſſimis clientelis,
grauiſſimæ auctoritati:
pares opes, potentiam, auctoritatem cùm
oppoſuiſſet:
Iuris & Æqui
agnitus eſt, antequam videretur, Fundator;
In

In Se primùm legi voluit, quod de Se deinde diceretur.

quemadmodum

In Se geſſit, quod pro Se, obiturus, DEO, Patriæq; offerret.

Vitæ dixeris Immortuum.

Nam vitæ Cauſa, Mortis Occaſio.

Non potuit meliùs mereri vitam, quàm meruerit mortem.

Occidit, dum occidentibus Auroram accendit.

Ad perduellis conſpectam imaginem ſeruitutis, expirauit.

Auertite oculos Poſteri!

Inauditum in Patria exemplum, Patria ſibi facta;

Priùs ſe perditam vidit, quàm proditam ſenſit.

Defluxit Purpuris natalis rubor, qui ſuperfuit: ſanguis Ciuium fuit.

Nec alio militares rubuêre Sagi, aut bellicæ paſtæ Aquilæ.

O T V A M

Illuſtriſsime Caſimire Leo Sapieha virtutem!

Vnus in paucis, DEO & Regi fidus; pro DEO, & Rege firmus; cum DEO, & Rege Victor.

Vt nondum depoſita ſint arma, dudùm triumphat Cauſa.

Pren-

Prenſat ſupremis digitis excuſſas è plena manu
Prouincias hoſtis;
& quicquid tangit,
Fidem *Sapiehanam* palpat.
Niſi *Sapiehanus* ſol luxiſſet,
Æterna nox Patriæ metuenda erat.
Fatentur id,
qui omnia circumſpexerunt, vt Patriæ
prouiderent:
neq; Pharon ad quam ſe reciperent,
inuenerunt:
quàm *Sapiehas*,
Illuſtriſſimum Paulum Sapieham,
nunc Palatinum Vilnenſem, Supremumq́;
Exercituum Lituaniæ Ducem:
Illuſtriſſimum Caſimirum Leonem Sapieham
tunc *M.D.L. Procancellariū̃m.*
Grande virtutis iudicium,
Vnus omnium de virtute conſenſus.
Grande decus Gloriæ,
Vna omnium, laudibuſq; ijſdem imbuta lingua.
Si magnum eſt dici,
HIC EST
quantum erit, *Hic Solus eſt?*
Tantus pugnat Dux, tantus obijt
Procancellarius.
Ille felix Lauro, hic glorioſus ipſa Cupreſſo.
Fatalis hæc, vt ſit Arbor,

Fa-

Fata virtus non timet.
Tumuli Heroum, Monumenta Laudum.
Vixiſti *Caſimire Leo Sapieha*, vixiſti!
Virtutibus, Opibus, Armis, Animo: DEO & Patriæ deuotus.
viues quoq́;immortalis ô PHOENIX Lituaniæ!
Quoties rebellis miles, per Te officio reſtitutus, Sacra tuetur,
Tu DEO dicaris:
Quoties Patriam propugnat,
Tu pugnas.
Inſonat altè, inſonabitq́; æternùm, Tua illa plena Pietatis
in DEVM & Patriam Vox:
Pugnarent conſtanter pro Aris, tuerentur Focos:
Patrimonium amplum tuum, in ſtipendijs numerarent:
Te promiſſorum obſidem haberent.
Hoc Claſſico, excitata Fides: hâc Tubâ, erecti Animi.
Hic clangor totam exercet Patriam,
Perennemq́; exercebit Gloriam.
Obſidem Te pro Religione & Patria voluiſti?
Obſidem Nominis Tui Religionem & Patriam habebis.
Quamdiu ſteterint,
MONVMENTVM TVI STABVNT.

PANE

PANEGYRICVS

In laudem Illuſtriſsimi Ducis in Kowel & Reuerendiſsimi Domini D. *HIERONIMI SANGVSZKO Epiſcopi Methonenſis. Vilnenſis Suffraganei, ſub titulo* Tiara duplex 1645. *nomine Academiæ.*

NVnc demum verè intelligimus, atq; exultantis lætitiæ fortunata gratulatione profitemur, animorum deſideria, gaudiorum eſſe ſemina; Dux & Præſul digniſſime. Hæc nimirum Præſulea tua dignitas, qua diei auſpicatæ, lumen affundis; hic, diuinæ poteſtatis particeps honor, quem terrarum commodis elargiturus, recipis; eruditione fælici, mentes noſtras inſtruxit: cùm votorum magnitudinem, ampliſſima fæcundaret hilaritatis meſſe, & expectationis tædium, pari ſolaretur voluptate. Reuocas, hodierna luce ſuſceptis meritorum præmijs, actos retro menſes, conuertis ſpectaculi gloriâ, præteritos ſoles; hos, vt au-

cta illuſtriſſimis tuis ſideribus die, dubiũ ſpectantibꝰ facias; illuſtrior ne tua dignitas, geminis, ducalis ac Præſulei ſplẽdoris, circũfuſa radijs, illuxerit orbi, an ſol cœlo: illos, vt ãbiẽtiũ, tuã dignitatẽ deſideriorũ, præſẽtibꝰ expleas ſolatijs, cupiditatẽ. Parce verò voci, quòd ſolem cœlorũ, Te terrarũ ſiderus dixerĩ. Reuoco cõfeſſione errorẽ. Et ſol cœleſte ſimul ac terrenũ ſidꝰ eſt; incolit cœlos, terras autẽ illuſtrat: & tu, cœlitũ mortaliũq; decus, è cœlis, dignitatis ſacræ lumẽ trahis, in terras ſpargis. Quẽadmodũ itaq;, eiuſdẽ exortꝰ Phæbi, ſẽper quidẽ gratus hominibꝰ illuceſcit; lætior tamẽ, & noua veluti luce iucũdior, fatigatis expectatione oculis emergit: ſimili euẽtu, diuturnis õniũ deſiderijs, exoptata promiſſi tibi honoris gloria, adeo temporũ morâ, indefeſſos irritauit animos; vt ad primã Põtificalis Tiaræ allatæ famã, deſideria in lætitiã, vota in gratulationes verterentur: in publicas deniq; erũperẽt apprecationes, cũ digniſſimũ, feliciſſimũq; Præſulem, diuerſorum affectuum, nulla confuſione; ſibi, M.D. Lituaniæ, mortalibus, ſuperis, gratularentur. Optauerat ſcilicet, Tuæ celſitudinis ſublimitate, ſuum attolli faſtigium honor; qui tametſi cœlo originem ducat, ſupra humanæ dignitatis apicem non aſſurgit; niſi tui ſimilem; Deoq;, animi meritis proximum, gerat. Optauerat, ſacer Perilluſtrium Principis Ecleſſiæ Vilnenſis Præſulum

non poteſt virtus celari, quin prodatur. Magna eſt eius vis, magnum decus. Spectatur dum latet, lucem vibrat, cum tenebris ſe infert, loquitur dum ſilet, laudes ſuas dicit, dum fugit. Virtus optima eloquentiæ magiſtra eſt, & ipſa vox, ipſa oratio, ac glorioſiſſima Panegyris ſui. Hæc, cum pro te tuiſq; meritis peroraret, num non exaudiri potuit? Habemus vobis gratias o cœlites! Habemus tibi Illuſtriſſime *Abrahame Woyna*! quod in noſtra vota, conſenſu iueritis, eumq́; dixeritis Præſulem, quem vniuerſi ambiueramus; correcturi procul dubio, euentu cogitationes; ſi ab illo declinaſſemus. Salue Princeps, & Præſul! ac ne nomina mutem, quæ tua virtus dignitaſq́; in unum coniunxêre; ſalue bis Princeps, ſæpius magne, ſæpius digne, cœlitum atq; hominum ſuffragijs. An ſuperi aliquem præferrent Tibi, quem gratum merita, meritum conſtans virtutis ſtudiũ ſtudioſũ virtutũ, perpes earũ cultus teſtaretur? aut nos, auerteremur votis ab eo, qui & dignitatem ſuſceptam ferret, & dignitati authoritatem facere poſſet? Fatemur libentes, ſacrum hoc faſtigium, ſublime virtutum eſſe theatrum, ſanctitatis fulcrum, diuinæ vicariam ſedem maieſtatis; at ſi illius gloriæ, viri par adiungatur dignitas, nonnè incrementum maieſtatis ſumet, altiuſq; aſſurget? Plurimùm profecto authoritatis ſplendoriſq; honores diuini

ſumunt; ab adiunćta, nominis illuſtris claritate. Accedit naturæ benignioris iudicium, illuſtre genus, maioribus ad magna promouédũ paſſibus. Magnum eſt auguſtâ deſcendere origine, neq; expectare a tempore, dignitatis incrementa, ſed aut inuenire, aut ſecum adferre: perfidiæ tamen rea natura meritò damnaretur, ſi quos ad vitam ſumma beneficentiâ inuitauerat, in vita deſereret. Senſerit, qui aſſeruit; Heroum filios noxas. Vitia non naſcuntur, etſi fiant. Benigna verò ſuiq; amans, natura parens, quos naſcentes non humi locauit, verùm purpurâ coluit ſubſtratâ, eos firmioribus præſidijs, contra fatorum, ac neceſſitatis humanæ, munit pericula. Tantùm diſtant nobiles animæ a virtute, quantùm a uitijs, humiles. Glorioſa Præſul,& vera prædicatio;eòq; glorioſior, eò verior, quia in tuis uerſatur laudibus. Argumentum orationis, tui aſpectus. Oculis fidem rei exploramus, quoties te intuemur. Vnde enim illa vis? vnde vigor? vnde conſtans robur, quo magnarum virtutum ſpatia emenſus, irrequieto animo, anhelas ad maiora, quotidie admirabilior, quotidie illuſtrior. Ageris quodam diuino impetu ad ſumma, ageris; naturæ tamen aliquid debes, quæ idcircò te magnum magnis Parentibus in lucem produxit: vt tantum, quantus es,& tamen ſemper maiorem, ſuſpiceremus. Iam tum, cum naſcereris,

ris, cunas amplexata religio, ſui tibi ſtudium à maioribus deriuatum, commendauit; Tu receſpiſti. Tum, cum primam auram attraheres, tuo pectori illapſa pietas, te animare cæpit; tu adamaſti. Tum, cum primum mortalem luſcem aſpexiſti, ſuo te virtus comitatu ſtipauit; tu ad obſequia vitæ inuitaſti. Pulſabat autem cor ſãguis, tot Ducum, tot victorum, tot triumſphatorum deſcendens origine. Sæcula Lituaſna ante Te conſtiterunt, quòd eorum nomen, non prius ſit auditum, quàm maiorum tuorum, id eſt Tuum. Hæc enim Patria, à qua vitam accepiſti, ſuam quoq; à Te accepit. Primus Parens tuus Cæſarinus Columna, Parens Reipuſblicæ noſtræ eſt. Libertas, Romano Imperio, à Iulio Cæſare erepta, à Cæſaris Tyrannide, Cæſarini militari virtute vindicata, atq; in has terrarum plagas deuecta, Patriæ huic clariſſimæ initium, Tuo generi illuſtriſſimo, nomen & dignitatem dedit. Expectent ac expetant ſtémata ſua latè cenſeri, numerari proauos, atauos, abauos, quorum fama, in luce quidem educata, non tamen in ſole; Tui Ducalis nominis maieſtatem, nemo ignorat, niſi ſuam neſciat Patriam, & Lituaniæ incunabula. Præclara annalium monumenta, cæterorum gloriam alunt, veſtri nominis gloriâ, annales conſeruantur. Quidquid enim de clariſſimis heroibus ferunt, veſtræ virtuti debent, à qua effectum, vt

eſſet

eſſet quod illi ferrent. Et, vt votum tam longinqua ſæcula ingrediendi non deſit, quæ facultas, quæ vis animi ea complecti poſſit? Auguſtum & venerabile nomen antiquitatis, quid, quid in ſe claudit, magnum & auguſtum eſt. Nomina ipſa, *Raymundi, Vitenis, Giedimini*, magnum quid ſonant, & non Prouinciarum tantùm, non Ducatuum; verùm Regnorum maieſtatem cum Regali ſanguine vehunt. *Lubartus* tamen, *Gedimini* filius, *Olgierdi* frater, Patruus *Iagiellonis, Vladislai Lokietci, Caſimiri, Ludouici, Regum Poloniæ*; *diu* hoſtis, ſæpe victor; originis Tuæ fons proximus & illuſtriſſimus, aciem maiori luce in tranſitu perſtringit, gradumq́; feſtinantem cohibet. Hoc eſt illud ſidus, fælix hodiernæ diei auroia, ſidus inquam, ſinceræ Religionis, à Principe maximo, familiæ illuſtriſſimæ illatum. Ille ille dies primùm, dignitatis nunc ſuſceptæ auſpicium dedit, meritò, ſuo ſplendore, cæteris præferendus. Debet illi plurimum hodierna lux, debemus & nos: plus tamen ille Tibi, plus & gaudia noſtra. Ille lucem ſacram familiæ veſtræ intulit, tu diem; ille veri DEI cultum, tu maieſtatis eius participem dignitatem: ille *Lubarti* tenebras peremit, hodiernus, lumen publicæ ſalutis atq́; hilaritatis effudit. Quid igitur dignius, de illuſtriſſimo *Simeone Samuele Sanguſzko*, Duce in Kowel, Palatino Viteptſcen-

ſcenſi, Parente tuo digniſſimo cogitemus; quàm lumine ſacro Tuæ dignitatis circumfuſum, gaudere plurimum, e ſideribus proſpectantem, ſidus *Sanguſzkanum*, Prouinciarum Regnorumq́; ſpatijs olim latè refuſum; aris hodie circumfundi: eundemq́; Filium ſuum, Principem, Præſulemq́;, conſalutari. Beatæ illæ, Deoq́; ſaturæ animæ, honoribus Regis ſui miximè oblectantur. Eadem, reliquos ſpectaculi gloria tenet, eadem in Tuas laudes excitat. Tantò autem maiora, vniuerſi de Te ſibi pollicentur, quantò plura, vſu pietatis Tuæ perceperunt, emolumenta. Probas, quem ſpes expectent; cum nouimus, quem ſolatia noſtra ſint experta. Oſtentauit Te populo glorioſum, ſingularis quidam animi Tui ardor; cum Diuorum ultui, potiſſimùm magnæ Dei matris devotus, onores cœlitum, per vrbis templa, ſæpius artireris. Tu quidem pietati, litabas, laudes erò ſpectantium, Tuæ gloriæ. Nunquam ad e, in cœlitum cauſa, intempeſtiuè uenitur, unquam uacuæ referuntur preces; neq́; faci- decerni poteſt, humanior ſis, an liberali-, cœlitũ cultor? Sentis rectiſſimè atq́; alios emplo doces; ſuperum quoq́; quemadmodùm minum amicitias, obſequio parari. Inclinas maniſſimè beneuolentiam ad vota, demittis gnitatem ad preces, atq́; qui à Te audiri vont, non quid dicant, cogitant; ſed qua, ceſſitatem inuoluant verſorum berie: ne

prius ſe impetraſſe experiantur, quàm petijſſe. Illuſtre ac laudabile munificentiæ genus, precibꝰ occurrere, offerre liberalē humanitatē, occupare affectu neceſſitatē. Aræ igitur ipſæ ac tēpla, lucis tuæ Ducalis, atq; Præſuleæ attactu, ſenſu quodā perfundūtur: ſuūq; ſibi mœcenatē, ſuū cultorē, auguſtiori diuinæ maieſtatis apparatu admoueri, deſiderāt. Et tu quidē, vt fidē tuā maiori Sacramēto deuoueas; manū porrigis, & ſuſcipis ab aris annulū, conſtantis tuæ pronubum pietatis. Macte digniſſime Præſul, fidē nō tam das, quā obſtringis! Tuus enim animus, ac animi cœlo ſacri, firmatum robur, olim patuit: nunc digitum annulo induis, animum Deo; manum gemmâ exornas, pectus gemmeâ conſtantiâ ſanctitatis. Eant, eant publici Religionis ſinceræ hoſtes, fremant & tamen paueant. Et digito terret, cœlica fortitudine timendus gigas. At tu Princeps & Præſul, caput amicum ſuperis, porrige, vt Tiarâ Pontificiâ coronetur. Hac fronte curæ cœleſtes reſedēre, hoc vertice induſtria colendi diuos pronata: ferat quem meruit honorem, & cum hunc tulerit, maiorem mereatur, maiorem ferat. Manum quoq; ſacro ſceptro inſtrue. Imperabis, imperabis Præſul! non hominibus, ſed humanis caſibus, & calamitati animorum. Caue infandum Cerberi caput, caue & multiplex Hydra; nec te ſtyge profer, excubat manus vigil,

gil, & fortis. Enſe opus non habet, robore e-necat ſcelera. Et quoniam periculum vitare non potes,ſi audeas; illud quoq; fatum agnoſce. Non vna tibi manu, nec ſemel cadendum, verum quotquot eadem, cœleſti contra vitia, donauerit poteſtate. O ver non tam temporis, quàm virtutis Tuæ, nobis gratiſſimum! o dies non tam cœleſti lumine, quàm tua luce illuſtriſſimos! O florilegium non terris promicans, at in tuis gentilitijs inſignibus, imo in tuis manibus uultu, corde,gratiſſima lilia oſtentâs! Inſtant fortunæ candidæ ſoles, quorum prodromi, dies moderni, *albi* gaudent apellari. Exigua ſunt rerum principia, magni exitus: ideoq; nũc quidē dominica dies,tui honoris parens,*alba* cōsēſu religioſo dicitur; deīde verò, āni ac ætates concolores ſubſequētur.Memoriam Honoris Tui, pariter, ac meritorum, ſerò à nobis repete, trophæa domi habes. Quid enim ternæ illæ Cæſarianæ columnæ, Sanguſcianæ virtutis vetuſtiſſima monumenta ſunt; quã auguſta, Deo, Patriæ, Familiæ, à veſtra manu erecta trophæa? His, tantò felicius glorioſiuſq; hodie incubuit onus, & honor; quantò proximior Deo conſtitiſti. I perge generoſe Eques! &quocũq; Lituani famã nominis,perēni curſu gloriæ protuleris, Sanguſcianas ei laudes coniunge. Vtriq; nomini, coniunctum diu obſequium, liberalius nunc impende. Nos Te, per

ſta-

PANEGYRICVS

In laudem Illuſtriſsimi Ducis in Kowel & Reuerendiſsimi Domini D. *HIERONIMI SANGVSZKO Epiſcopi Methonenſis. Vilnenſis Suffraganei, ſub titulo* Tiara duplex 1645. *nomine Academiæ.*

NVnc demum verè intelligimus, atq; exultantis lætitiæ fortunata gratulatione profitemur, animorum deſideria, gaudiorum eſſe ſemina; Dux & Præſul digniſſime. Hæc nimirum Præſulea tua dignitas, qua diei auſpicatæ, lumen affundis; hic, diuinæ poteſtatis particeps honor, quem terrarum commodis elargiturus, recipis; eruditione fælici, mentes noſtras inſtruxit: cùm votorum magnitudinem, ampliſſima fæcundaret hilaritatis meſſe, & expectationis tædium, pari ſolaretur voluptate. Reuocas, hodierna luce ſuſceptis meritorum præmijs, actos retro menſes, conuertis ſpectaculi gloriâ, præteritos ſoles; hos, vt au-

ta illuſtriſſimis tuis ſideribus die, dubiū ſpe-
ſtantibꝯ facias; illuſtrior ne tua dignitas, ge-
minis, ducalis ac Præſulei ſplédoris, circūfuſa
adijs, illuxerit orbi, an ſol cœlo? illos, vt ābié-
iū, tuā dignitaté deſideriorū, præsétibꝯ expleas
olatijs, cupiditaté. Parce verò voci, quòd ſolem
œlorū, Te terrarū ſiderus dixerī. Reuoco cōfeſ-
one erroré. Et ſol cœleſte ſimul ac terrenū ſidꝯ
ſt; incolit cœlos, terras auté illuſtrat: & tu, cœ-
tū mortaliūq; decus; è cœlis, dignitatis ſacræ lu
né trahis, in terras ſpargis. Quéadmodū itaq;, e-
iſdé exortꝯ Phæbi, séper quidé gratus homini-
ꝯ illuceſcit; lætior tamé, & noua veluti luce
icūdior, fatigatis expectatione oculis emergit:
mili euétu, diuturnis ōniū deſiderijs, exoptata
romiſſi tibi honoris gloria, adeo temporū mo-
ì, indefeſſos irritauit animos; vt ad primā Pō-
ficalis Tiaræ allatæ famā, deſideria in lætitiā,
ota in gratulationes verterentur: in publicas
niq; erūperēt apprecationes, cū digniſſimū,
liciſſimūq; Præſulem, diuerſorum affectuum,
lla confuſione; ſibi, M. D. Lituaniæ, morta-
ous, ſuperis, gratularentur. Optauerat ſci-
et, Tuæ celſitudinis ſublimitate, ſuum attol-
faſtigium honor; qui tameſi cœlo originem
icat, ſupra humanæ dignitatis apicem non
urgit; niſi tui ſimilem; Deoq;, animi meritis
oximum, gerat. Optauerat, ſacer Perillu-
ium Principis Ecleſſiæ Vilnenſis Præſulum

on poteſt virtus celari, quin prodatur. Magna eſt eius vis, magnum decus. Spectatur um latet, lucem vibrat, cum tenebris ſe infert, oquitur dum ſilet, laudes ſuas dicit, dum fuit. Virtus optima eloquentiæ magiſtra eſt, & ſa vox, ipſa oratio, ac glorioſiſſima Panegyſ ſui. Hæc, cum pro te tuiſq; meritis perorat, num non exaudiri potuit? Habemus vobis atias o cœlites! Habemus tibi Illuſtriſſime *brahame Woyna*! quod in noſtra vota, conſu iueritis, eumq; dixeritis Præſulem, quem niuerſi ambiueramus; correcturi procul duo, euentu cogitationes; ſi ab illo declinaſſeus. Salue Princeps, & Præſul! ac ne nomina urem, quæ tua virtus dignitaſq; in unum niunxêre; ſalue bis Princeps, ſæpius magnè, pius digne, cœlitum atq; hominum ſuffras. An ſuperi aliquem præferrent Tibi, quem atum merita, meritum conſtans virtutis ſtuũ ſtudioſũ virtutũ, perpes earũ cultus teſtaret? aut nos, auerteremur votis ab eo, qui & diitatem ſuſceptam ferre; & dignitati authoatem facere poſſet? Fatemur libentes, ſacrum c faſtigium, ſublime virtutum eſſe theatrum, nctitatis fulcrum, diuinæ vicariam ſedem ieſtatis; at ſi illius gloriæ, viri par adiuntur dignitas, nonnè incrementum maieſta ſumet, altiuſq; aſſurget? Plurimùm profe authoritatis ſplendoriſq; honores diuini

ſumunt; ab adiuncta, nominis illuſtris clarita-
te. Accedit naturæ benignioris iudicium, il-
luſtre genus, maioribus ad magna promouēdū
paſſibus. Magnum eſt auguſtâ deſcendere ori-
gine, neq; expectare a tempore, dignitatis in-
crementa, ſed aut inuenire, aut ſecum adferre:
perfidiæ tamen tea natura meritò damnaretur,
ſi quos ad vitam ſumma beneficentiâ inuita-
uerat, in vita desereret. Senſerit, qui aſſeru-
it; Heroum filios noxas. Vitia non naſcuntur,
etſi fiant. Benigna verò ſuiq; amans, natura
parens, quos naſcentes non humi locauit, ve-
rùm purpurâ coluit ſubſtratâ, eos firmioribus
præſidijs, contra fatorum, ac neceſſitatis hu-
manæ, munit pericula. Tantùm diſtant nobi-
les animæ a virtute, quantùm a uitijs, humiles.
Glorioſa Præſul, & vera prædicatio; eòq; glorio-
ſior, eò verior, quia in tuis uerſatur laudibus.
Argumentum orationis, tui aſpectus. Oculis
fidem rei exploramus, quoties te intuemur.
Vnde enim illa vis? vnde vigor? vnde conſtans
robur, quo magnarum virtutum ſpatia emen-
ſus, irrequieto animo, anhelas ad maiora,
quotidie admirabilior, quotidie illuſtrior. A-
geris quodam diuino impetu ad ſumma, ageris;
naturæ tamen aliquid debes, quæ idcircò te
magnum magnis Parentibus in lucem produ-
xit: vt tantum, quantus es, & tamen ſemper ma-
iorem, ſuſpiceremus. Iam tum, cum naſcere-
ris,

is, cunas amplexata religio, ſui tibi ſtudium à
maioribus deriuatum, commendauit; Tu rece-
iſti. Tum, cum primam auram attraheres,
uo pectori illapſa pietas, te animare cæpit; tu
damaſti. Tum, cum primum mortalem lu-
em aſpexiſti, ſuo te virtus comitatu ſtipauit;
u ad obſequia vitæ inuitaſti. Pulſabat autem
or ſãguis, tot Ducum, tot victorum, tot trium-
phatorum deſcendens origine. Sæcula Litua-
a ante Te conſtiterunt, quòd eorum nomen,
on prius ſit auditum, quàm maiorum tuorum,
d eſt Tuum. Hæc enim Patria, à qua vitam
ccepiſti, ſuam quoq; à Te accepit. Primus
arens tuus Cæſarinus Columna, Parens Reipu-
licæ noſtræ eſt. Libertas, Romano Imperio,
Iulio Cæſare erepta, à Cæſaris Tyrannide,
æſarini militari virtute vindicata, atq; in has
erræarum plagas deuecta, Patriæ huic clariſſimæ
nitium, Tuo generi illuſtriſſimo, nomen & di-
nitatem dedit. Expectent ac expetant ſtéma-
a ſua latè cenſeri, numerari proauos, atauos,
bauos, quorum fama, in luce quidem educata,
on tamen in ſole; Tui Ducalis nominis maie-
atem, nemo ignorat, niſi ſuam neſciat Patri-
m, & Lituaniæ incunabula. Præclara annali-
m monumenta, cæterorum gloriam alunt,
eſtri nominis gloriâ, annales conſeruantur.
uidquid enim de clariſſimis heroibus fe-
unt, veſtræ virtuti debent, à qua effectum, vt
eſſet

eſſet quod illi ferrent. Et, vt votum tam longinqua ſæcula ingrediendi non deſit, quæ faſcultas, quæ vis animi ea complecti poſſit? Auguſtum & venerabile nomen antiquitatis, quidquid in ſe claudit, magnum & auguſtum eſt. Nomina ipſa, *Raymundi, Vitenis, Giedimini*, magnum quid ſonant, & non Prouinciarum tantùm, non Ducatuum; verùm Regnorum maieſtatem cum Regali ſanguine vehunt. *Lubartus* tamen, *Gedimini* filius, *Olgierdi* frater, Patruus *Iagiellonis*, *Vladislai Lokietci*, *Caſimiri*, *Ludouici*, *Regum Poloniæ*; *diu* hoſtis, ſæpe victor; originis Tuæ fons proximus & illuſtriſſimus, aciem maiori luce in tranſitu perſtringit, gradumq; feſtinantem cohibet. Hoc eſt illud ſidus, fælix hodiernæ diei aurora, ſidus inquam, ſinceræ Religionis, à Principe maximo, familiæ illuſtriſſimæ illatum. Ille ille dies primùm, dignitatis nunc ſuſceptæ auſpicium dedit, meritò, ſuo ſplendore, cæteris præferendus. Debet illi plurimum hodierna lux, debemus & nos: plus tamen ille Tibi, plus & gaudia noſtra. Ille lucem ſacram familiæ veſtræ intulit, tu diem; ille veri DEI cultum, tu maieſtatis eius participem dignitatem: ille *Lubarti* tenebras peremit, hodiernus, lumen publicæ ſalutis atq; hilaritatis effudit. Quid igitur dignius, de illuſtriſſimo *Simeone Samuele Sanguſzko*, Duce in Kowel, Palatino Vitepſcen-

cenſi, Parente tuo digniſſimo cogitemus ; quàm lumine ſacro Tuæ dignitatis circumfuſum, gaudere plurimum, e ſideribus proſpectantem, ſidus *Sanguſzkanum*, Prouinciarum Regnorumq́; ſpatijs olim latè refuſum; aris hodie circumfundi: eundemq́; Filium ſuum, Principem, Præſulemq́;, conſalutari. Beatæ illæ, Deoq́; ſaturæ animæ, honoribus Regis ſui maximè oblectantur. Eadem, reliquos ſpectaculi gloria tenet, eadem in Tuas laudes excitat. Tantò autem maiora, vniuerſi de Te ſibi pollicentur, quantò plura, vſu pietatis Tuæ perceperunt, emolumenta. Probas, quem ſpes expectent; cum nouimus, quem ſolatia noſtra ſint experta. Oſtentauit Te populo glorioſum, ſingularis quidam animi Tui ardor; cum Diuorum cultui, potiſſimùm magnæ Dei matris devotus, honores cœlitum, per vrbis templa, ſæpius partireris. Tu quidem pietati, litabas, laudes verò ſpectantium, Tuæ gloriæ. Nunquam ad Te, in cœlitum cauſa, intempeſtiuè uenitur, nunquam uacuæ referuntur preces; neq́; facilè decerni poteſt, humanior ſis, an liberalior, cœlitũ cultor? Sentis rectiſſimè atq́; alios exemplo doces; ſuperum quoq́; quemadmodum hominum amicitias, obſequio parari. Inclinas humaniſſimè beneuolentiam ad vota, demittis dignitatem ad preces, atq́; qui à Te audiri volunt, non quid dicant, cogitant; ſed qua, neceſſitatem inuoluant verſorum berie; ne

prius ſe impetraſſe experiantur, quàm petijſſe. Illuſtre ac laudabile munificentiæ genus, precib9 occurrere, offerre liberalẽ humanitatẽ, occupare affectu neceſſitatẽ. Aræ igitur ipſæ ac tẽpla, lucis tuæ Ducalis, atq; Præſuleæ attactu, ſenſu quodã perfundũtur: ſuũq; ſibi mœcenatẽ, ſuũ cultorẽ, auguſtiori diuinæ maieſtatis apparatu admoueri, deſiderãt. Et tu quidẽ, vt fidẽ tuã maiori Sacramẽto deuoueas; manũ porrigis, & ſuſcipis ab aris annulũ, conſtantis tuæ pronubum pietatis. Macte digniſſime Præſul, fidẽ nõ tam das, quã obſtringis! Tuus enim animus, ac animi cœlo ſacri, firmatum robur, olim patuit: nunc digitum annulo induis, animum Deo; manum gemmâ exornas, pectus gemmeâ conſtantiâ ſanctitatis. Eant, eant publici Religionis ſinceræ hoſtes, fremant & tamen paueant. Et digito terret, cœlica fortitudine timendus gigas. At tu Princeps & Præſul, caput amicum ſuperis, porrige, vt Tiarâ Pontificiâ coronetur. Hac fronte curæ cœleſtes reſedêre, hoc vertice induſtria colendi diuos pronata: ferat quem meruit honorem, & cum hunc tulerit, maiorem mereatur, maiorem ferat. Manum quoq; ſacro ſceptro inſtrue. Imperabis, imperabis Præſul! non hominibus, ſed humanis caſibus, & calamitati animorum. Caue infandum Cerberi caput, caue & multiplex Hydra; nec te ſtyge profer, excubat manus vigil,

gil, & fortis. Enſe opus non habet, robore e-
necat ſcelera. Et quoniam periculum vitare
non potes, ſi audeas; illud quoq; fatum agnoſce.
Non vna tibi manu, nec ſemel cadendum, ve-
rum quotquot eadem, cœleſti contra vitia, do-
nauerit poteſtate. O ver non tam temporis,
quàm virtutis Tuæ, nobis gratiſſimum! o dies
non tam cœleſti lumine, quàm tua luce illu-
ſtriſſimos! O florilegium non terris promicans,
ſed in tuis gentilitijs inſignibus, imo in tuis ma-
nibus uultu, corde, gratiſſima lilia oſtentās! In-
ſtant fortunæ candidæ ſoles, quorum prodro-
mi, dies moderni, *albi* gaudent apellari. E-
xigua ſunt rerum principia, magni exitus: i-
deoq; nūc quidē dominica dies, tui honoris pa-
rens, *alba* cōſēſu religioſo dicitur; deīde verò,
anni ac ætates concolores ſubſequētur. Memoria
m Honoris Tui, pariter, ac meritorum, ſerò
a nobis repete, trophæa domi habes. Quid e-
nim ternæ illæ Cæſarianæ columnæ, Sanguſciana
virtutis vetuſtiſſima monumenta ſunt; quā
auguſta, Deo, Patriæ, Familiæ, à veſtra manu
erecta trophæa? His, tantò felicius glorioſiuſq;
hodie incubuit onus, & honor; quantò proxi-
mior Deo conſtitiſti. I perge generoſe Eques!
quocūq; Lituani famā nominis, perēni curſu
gloriæ protuleris, Sanguſcianas ei laudes con-
iunge. Vtriq; nomini, coniunctum diu obſe-
quium, liberalius nunc impende, Nos Te, per

ſta-

PANEGYRICVS

In laudem Illuſtriſsimi Ducis in Kowel & Reuerendiſsimi Domini D. HIERONIMI SANGVSZKO *Epiſcopi Methonenſis. Vilnenſis Suffraganei, ſub titulo* Tiara duplex 1645. *nomine Academiæ.*

NVnc demum verè intelligimus, atq; exultantis lætitiæ fortunata gratulatione profitemur, animorum deſideria, gaudiorum eſſe ſemina; Dux & Præſul digniſſime. Hæc nimirum Præſulea tua dignitas, qua diei auſpicatæ, lumen affundis; hic, diuinæ poteſtatis particeps honor, quem terrarum commodis elargiturus, recipis; eruditione fælici, mentes noſtras inſtruxit: cùm votorum magnitudinem, ampliſſima fæcundaret hilaritatis meſſe, & expectationis tædium, pari ſolaretur voluptate. Reuocas, hodierna luce ſuſceptis meritorum præmijs, actos retro menſes, conuertis ſpectaculi gloriâ, præteritos ſoles: hos, vt au-

a illuſtriſſimis tuis ſideribus die, dubiũ ſpe-
antibꝫ facias; illuſtrior ne tua dignitas, ge-
inis, ducalis ac Præſulei ſplẽdoris, circũfuſa
dijs, illuxerit orbi, an ſol cœlo; illos, vt ãbiẽ-
ĩ, tuã dignitatẽ deſideriorũ, præſẽtibꝫ expleas
latijs, cupiditatẽ. Parce verò voci, quòd ſolem
:lorũ, Te terrarũ ſiderus dixerĩ. Reuoco cõfeſ-
ne errorẽ. Et ſol cœleſte ſimul ac terrenũ ſidꝫ
; incolit cœlos, terras autẽ illuſtrat; & tu, cœ-
ũ mortaliũq; decus; è cœlis, dignitatis ſacræ lu
ẽ trahis, in terras ſpargis. Quẽadmodũ itaq;, e-
ſdẽ exortꝫ Phæbi, ſẽper quidẽ gratus homini-
illuceſcit; lætior tamẽ, & noua veluti luce
:ũdior, fatigatis expectatione oculis emergit:
nili euẽtu, diuturnis õniũ deſiderijs, exoptata
omiſſi tibi honoris gloria, adeo temporũ mo-
indefeſſos irritauit animos; vt ad primã Põ-
calis Tiaræ allatæ famã, deſideria in lætitiã,
ta in gratulationes verterentur: in publicas
niq; erũperẽt apprecationes, cũ digniſſimũ,
ciſſimũq; Præſulem, diuerſorum affectuum,
la confuſione; ſibi, M. D. Lituaniæ, morta-
us, ſuperis, gratularentur. Optauerat ſci-
et, Tuæ celſitudinis ſublimitate, ſuum attol-
aſtigium honor; qui tametſi cœlo originem
at, ſupra humanæ dignitatis apicem non
rgit; niſi tui ſimilem; Deoq;, animi meritis
ximum, gerat. Optauerat, ſacer Perillu-
um Principis Ecleſſiæ Vilnenſis Præſulum

non poteſt virtus celari, quin prodatur. Magna eſt eius vis, magnum decus. Spectatur dum latet, lucem vibrat, cum tenebris ſe infert, loquitur dum ſilet, laudes ſuas dicit, dum fugit. Virtus optima eloquentiæ magiſtra eſt, & ipſa vox, ipſa oratio, ac glorioſiſſima Panegyris ſui. Hæc, cum pro te tuiſq; meritis perorar et, num non exaudiri potuit? Habemus vobis gratias o cœlites! Habemus tibi Illuſtriſſime *Abrahame Woyna*! quod in noſtra vota, conſenſu iueritis, eumq; dixeritis Præſulem, quem vniuerſi ambiueramus; correcturi procul dubio, euentu cogitationes; ſi ab illo declinaſſemus. Salue Princeps, & Præſul! ac ne nomina murem, quæ tua virtus dignitaſq; in unum coniunxêre; ſalue bis Princeps, ſæpius magnè, ſæpius digne, cœlitum atq; hominum ſuffragijs. An ſuperi aliquem præferrent Tibi, quem gratum merita, meritum conſtans virtutis ſtudiũ ſtudiosũ virtutũ, perpes earũ cultus teſtaretur? aut nos, auerteremur votis ab eo, qui & dignitatem ſuſceptam ferre, & dignitati authoritatem facere poſſet? Fatemur libentes, ſacrum hoc faſtigium, ſublime virtutum eſſe theatrum, ſanctitatis fulcrum, diuinæ vicariam ſedem maieſtatis; at ſi illius gloriæ, viri par adiungatur dignitas, nonnè incrementum maieſtatis ſumet, altiuſq; aſſurget? Plurimùm profecto authoritatis ſplendoriſq; honores diuini

ïs, cunas amplexata religio, ſui tibi ſtudium à maioribus deriuatum, commendauit; Tu recepiſti. Tum, cum primam auram attraheres, tuo pectori illapſa pietas, te animare cæpit; tu adamaſti. Tum, cum primum mortalem lucem aſpexiſti, ſuo te virtus comitatu ſtipauit; tu ad obſequia vitæ inuitaſti. Pulſabat autem cor sãguis, tot Ducum, tot victorum, tot triumphatorum deſcendens origine. Sæcula Lituana ante Te conſtiterunt, quòd eorum nomen, non prius ſit auditum, quàm maiorum tuorum, id eſt Tuum. Hæc enim Patria, à qua vitam accepiſti, ſuam quoq; à Te accepit. Primus Parens tuus Cæſarinus Columna, Parens Reipublicæ noſtræ eſt. Libertas, Romano Imperio, à Iulio Cæſare erepta, à Cæſaris Tyrannide, Cæſarini militari virtute vindicata, atq; in has terrarum plagas deuecta, Patriæ huic clariſſimæ initium, Tuo generi illuſtriſſimo, nomen & dignitatem dedit. Expectent ac expetant ſtémata ſua latè cenſeri, numerari proauos, atauos, abauos, quorum fama, in luce quidem educata, non tamen in ſole; Tui Ducalis nominis maieſtatem, nemo ignorat, niſi ſuam neſciat Patriam, & Lituaniæ incunabula. Præclara annalium monumenta, cæterorum gloriam alunt, veſtri nominis gloriâ, annales conſeruantur. Quidquid enim de clariſſimis heroibus ferunt, veſtræ virtuti debent, à qua effectum, vt

eſſet

eſſet quod illi ferrent. Et, vt votum tam longinqua ſæcula ingrediendi non deſit, quæ facultas, quæ vis animi ea complecti poſſit? Auguſtum & venerabile nomen antiquitatis, quid quid in ſe claudit, magnum & auguſtum eſt. Nomina ipſa, *Raymundi*, *Vitenis*, *Giedimini*, magnum quid ſonant, & non Prouinciarum tantùm, non Ducatuum; verùm Regnorum maieſtatem cum Regali ſanguine vehunt. *Lubartus* tamen, *Gedimini* filius, *Olgierdi* frater, Patruus *Iagiellonis*, *Vladislai Lokietci*, *Caſimiri*, *Ludouici*, *Regum Poloniæ*; *diu* hoſtis, ſæpe victor; originis Tuæ fons proximus & illuſtriſſimus, aciem maiori luce in tranſitu perſtringit, gradumq́; feſtinantem cohibet. Hoc eſt illud ſidus, fælix hodiernæ diei auroıa, ſidus inquam, ſinceræ Religionis, à Principe maximo, familiæ illuſtriſſimæ illatum. Ille ille dies primùm, dignitatis nunc ſuſceptæ auſpicium dedit, meritò, ſuo ſplendore, cæteris præferendus. Debet illi plurimum hodierna lux, debemus & nos: plus tamen ille Tibi, plus & gaudia noſtra. Ille lucem ſacram familiæ veſtræ intulit, tu diem; ille veri DEI cultum, tu maieſtatis eius participem dignitatem: ille *Lubarti* tenebras peremit, hodiernus, lumen publicæ ſalutis atq́; hilaritatis effudit. Quid igitur dignius, de illuſtriſſimo *Simeone Samuele Sanguſzko*, Duce in Kowel, Palatino Vitep-
ſcen-

ſcenſi, Parente tuo digniſſimo cogitemus; quàm lumine ſacro Tuæ dignitatis circumfuſum, gaudere plurimum, e ſideribus proſpe-ctantem, ſidus *Sanguſzkanum*, Prouinciarum Regnorumq́; ſpatijs olim latè refuſum, aris hodie circumfundi: eundemq́; Filium ſuum, Principem, Præſulemq́;, conſalutari. Beatæ illæ, Deoq́; ſaturæ animæ, honoribus Regis ſui miximè oblectantur. Eadem, reliquos ſpectaculi gloria tenet, eadem in Tuas laudes excitat. Tantò autem maiora, vniuerſi de Te ſibi pollicentur, quantò plura, vſu pietatis Tuæ perceperunt, emolumenta. Probas, quem ſpes expectent; cum nouimus, quem ſolatia noſtra ſint experta. Oſtentauit Te populo glorioſum, ſingularis quidam animi Tui ardor; cum Diuorum cultui, potiſſimùm magnæ Dei matris devotus, honores cœlitum, per vrbis templa, ſæpius partireris. Tu quidem pietati, litabas, laudes verò ſpectantium, Tuæ gloriæ. Nunquam ad Te, in cœlitum cauſa, intempeſtiuè uenitur, nunquam uacuæ referuntur preces; neq́; facilè decerni poteſt, humanior ſis, an liberalior, cœlitũ cultor? Sentis rectiſſimè atq́; alios exemplo doces; ſuperum quoq́; quemadmodum hominum amicitias, obſequio parari. Inclinas humaniſſimè beneuolentiam ad vota, demittis dignitatem ad preces, atq́; qui à Te audiri volunt, non quid dicant, cogitant; ſed qua, neceſſitatem inuoluant verſorum berie; ne

prius ſe impetraſſe experiantur, quàm petijſſe. Illuſtre ac laudabile munificentiæ genus, precibꝰ occurrere, offerre liberalẽ humanitatẽ, occupare affectu neceſſitatẽ. Aræ igitur ipſæ ac tẽpla, lucis tuæ Ducalis, atq; Præſuleæ attactu, ſenſu quodã perfundũtur: ſuũq; ſibi mœcenatẽ, ſuũ cultorẽ, auguſtiori diuinæ maieſtatis apparatu admoueri, deſiderãt. Et tu quidẽ, vt fidẽ tuã maiori Sacramẽto deuoueas; manũ porrigis, & ſuſcipis ab aris annulũ, conſtantis tuæ pronubum pietatis. Macte digniſſime Præſul, fidẽ nõ tam das, quã obſtringis! Tuus enim animus, ac animi cœlo ſacri, firmatum robur, olim patuit: nunc digitum annulo induis, animum Deo; manum gemmâ exornas, pectus gemmeâ conſtantiâ ſanctitatis. Eant, eant publici Religionis ſinceræ hoſtes, fremant & tamen paueant. Et digito terret, cœlica fortitudine timendus gigas. At tu Princeps & Præſul, caput amicum ſuperis, porrige, vt Tiarâ Pontificiâ coronetur. Hac fronte curæ cœleſtes reſedêre, hoc vertice induſtria colendi diuos pronata: ferat quem meruit honorem, & cum hunc tulerit, maiorem mereatur, maiorem ferat. Manum quoq; ſacro ſceptro inſtrue. Imperabis, imperabis Præſul! non hominibus, ſed humanis caſibus, & calamitati animorum. Caue infandum Cerberi caput, caue & multiplex Hydra; nec te ſtyge profer, excubat manus vigil,

gil, & fortis. Enſe opus non habet, robore enecat ſcelera. Et quoniam periculum vitare non potes, ſi audeas; illud quoq; fatum agnoſce. Non vna tibi manu, nec ſemel cadendum, verum quotquot eadem, cœleſti contra vitia, donauerit poteſtate. O ver non tam temporis, quàm virtutis Tuæ, nobis gratiſſimum! o dies non tam cœleſti lumine, quàm tua luce illuſtriſſimos! O florilegium non terris promicans, at in tuis gentilitijs inſignibus, imo in tuis manibus uultu, corde, gratiſſima lilia oſtentâs! Inſtant fortunæ candidæ ſoles, quorum prodromi, dies moderni, *albi* gaudent apellari. Exigua ſunt rerum principia, magni exitus: ideoq; nũc quidẽ dominica dies, tui honoris parens, *alba* cõsẽſu religioſo dicitur; deĩde verò, ãni ac ætates concolores ſubſequẽtur. Memoriam Honoris Tui, pariter, ac meritorum, ſerò à nobis repete, trophæa domi habes. Quid enim ternæ illæ Cæſarianæ columnæ, Sanguſcianæ virtutis vetuſtiſſima monumenta ſunt; quã augusta, Deo, Patriæ, Familiæ, à veſtra manu erecta trophæa? His, tantò felicius glorioſiuſq; hodie incubuit onus, & honor; quantò proximior Deo conſtitiſti. I perge generoſe Eques! &quocũq; Lituani famã nominis, perẽni curſu gloriæ protuleris, Sanguſcianas ei laudes coniunge. Vtriq; nomini, coniunctum diu obſequium, liberalius nunc impende, Nos Te, per
ſta-

ſtadium perennitatis uotis comitabimur; fauſtumq; ac fortunatum curſum vouebimus. Cum verò verba, votis defecerint, ad illuſtriſſimum *Præſulem* animis conuerſi; vt plures honores ferat, ampliorem famam, glorioſius nomen, noſtraq; deſideria, fortunæ-ſuperet incrementis; ex animo precabimur.

PANEGYRICVS

In laudem Perilluſtris & Reuerendiſsimi Domini D. ALBERTI PILCHOWICZ Epiſcopi Hipponenſis, Suffraganei Varmienſis &c: ſub titulo. Problemata Natalitia *Brunsbergæ* 1649 *nomine Diſcipuli.*

PROBLEMA I.

Vtrum quiuis Nomen ſuum ferre poſsit.

AD ipſum clariſſimi ſolis lumen, veritatem multis ignotam deprehendit; qui inſi-

gnia

gnia Nomina, oneroſa affirmauit, *Perilluſtris ac Reuerendiſsime Domine*. Cum enim nullum nomen, monente philoſopho, natura conſtet; ſed ſit quaſi nota quædam ad ſignificandum impoſita: eſt ſimul perpes quidam, ac veluti cognatus vnicuiq; monitor; quo carere, iuxta ac eius monitis parere, difficile ſit. Supra id nimirum; quod virtutis ſemita, inſigni monſtrata nomine non molli ducat arenâ: nec florido ſternatur gramine, aut fallentes veſtigia admittat terras: verùm per ardua & inuia enixa, ſpinas calcet, vt roſas germinet; ſcopulos premat, vt planum occupet: perpetuò ad curſum, ad progreſſum vrgeri, perpetuò onerari eſt. Si ingratum, moderatæ admonitionis beneficium, hominibus euenit; gratius illud qui occurrat, quod ſemper vrget? Neq; verò leuis hæc cenſura, faciliſq; exiſtimanda; tanquam domeſtica & privata. Hic ipſe cenſor, nobis inſertus, publicus famæ adminiſter habetur; cuius iudicio, à cæteris contemptis, honor decernitur. Nominibus vt ſignamur, ita deſignamur. Nomina inſignia, frons, oculi, uultus ſunt; etiam nunquam conſpectos, etiam in obſcuro latentes proditurі. Quod tamen maximum nominis pondus eſt, illud profectò videtur, nomen cum memoria propagatum, apud poſteros ferre. Quis nullis ſpatijs definita ingreſſurus tempora, in ipſo limine non expaue-

ueſcat? quis ad innumera & diuerſiſſima hominum iudicia, non exhorreat? Fortunatum Te, diuine Plato, ea virtutis confidentia, qua interrogatus de monumento erigendo, *Nomen Platonis multa fore* (vt ſunt) *monumenta*, reſpondiſti. Quid enim Plato? Niſi ſapiens. Quid Plato? niſi orbis bono natus? At diuidat tecum neceſſe decus nominis oneroſi, glorioſiſſimè ſuſtentatum, (ſi modo uelis) hic Philoſophus, Perilluſtris ac Reuerendiſſime Domine. Communes illi tecum, Sapientiæ, boniq; publici procurandi laudes: niſi quod glorioſius decus, ſublimius ac inſignius nomé, D. *Albertus Tutelaris tuus* ad te referat, illudq; ſummo cũ honore, à Te ſemper geſtum, cogat admirari. Sint Lampridio, & cæteris, *inſignia nomina oneroſa*. Tibi cœleſte D. *Alberti* nomen, oneroſum non fuit, eſt autem, ac fuit ſemper glorioſum. Magnum eius pondus, magnæ tibi virtutis vires. Magna dignitas, magni capiendæ dignitati ſinus. Palam habetur, vt res, ita nomina, quò ad Deum propius accedunt, eò plus de dignitate, quemadmodũ de diuinitate communicare; grauioraq; proinde ferendo eſſe. Mutas tamen rerum vices, conſtanti virtute eaq; faciliora cenſes onera, quæ Deo pleniora, Errabas Claudiane, cum cœlo baiulum quæreres.

Nutaretq; oneri venturo conſcius Atlas, quæ-

ren-

rendum erat par noſtro præſuli robur, nec nutaſſet ſub Imperatore, aſſuetum Deo. Ternarium numerum ac ſimplicem cogitamus, quoties ſummum, nulliq; perceptum nomen Dei, expendimus. Vtrumq; ſub Alberti nomine meruiſti Præſul, recepiſti, geſſiſti, euexiſti. Verè *Albertus*, id eſt *Ter albus*, innocente pueritiâ, candidâ adoleſcentiâ, illuſtri reliqua ætate. Ætas tua, virtutes pro momentis temporum numerat, anni ſupputantur meritis, æuum conſtat gloriâ. Ad virtutem editus, intra eam adoleuiſti: maturuiſti, intra gloriam; intra quam dum viuis, Tibi ſuperes, & Tuæ poſteritatis, laudibus frueris. Non alium Te vidit, magnorum *Leſczyniorum*, educatrix Tuæ iuuentutis aula; non, quæ Te iuris meritiſſimum Doctorem venerata eſt, Cracouienſis Academia, non publici conſilij curiæ, & foras quàm nunc ſuſpiciunt Aræ. Litaſti primam, vt litares integram, Superum honori vitam; quaſi liberalitate vinci ab ijs metueres, ſi minus, quàm accepiſſes, vitæ redderes. Habet demum quod inuideat Poloniæ Pruſſiæq; *Nobilis*, *atquè tua Sileſia*: habet cur decus olim ſuum, maiores Tuos, in Poloniam tranſplantatos penè doleat. Verùm id fato auguſtiore ordinatum exiſtimamus; vt ſpectaret aliquandò in Te Præſule, rediuiuas virtutes Pruſſia; quas caligine gentilitio offuſa, in D. Tutelari Tuo *Al-*

bert-

berto non agnouerat. Ex Bohemia ille Pruſſiæ affulſit:Te Sileſia per ſanguinis deriuatam originem, ad nos tranſmiſit; vicina vtiq; Bohemiæ, confinio terrarum, vt Tu D. *Alberto*, confinio virtutum. Ambo Præſulea dignitate venerandi,ambo ſanctitate. Ille anteſignanus, Tu Socius; ille Dux, Tu Comes; ille flamma,Tu magna tantæ flāmæ pars,ille ſol,Tu ſolis illuſtriſſimus radius. Maiora agis, quam loquor: ſed verba, ad genium tuæ demiſſionis formo: niſi prohibeas; alterum Te quoq; Anteſignanum, alterum virtutis ac Sanctitatis Ducem,alteram flammam,alterum ſolem, non dicturus, verùm oſtenſurus. Rigauerit verò D. *Albertus* Pruſſiam ſanguine, Tu ſudore: deprōpturus dubio procul cruorem; ſi tam prompta ſceleri, ſæuiret impietas: aut niſi malles, largiri digniſſimo Numini, per partes vitæ, ſanguinem; vt diutius habeas, quod offeras. Salue igitur magni nominis magne Hæres. Salue illuſtriſſime, D. Tutelaris titulis, Præſul! Fer nomen, quod tam altè extuliſti, fer nominis famam, fer perennitatem, vt Tuis, ac in Te, D. Tutelaris virtutibus diutiſſimè fruamur.

PROBLEMA II

Vtrum quis Natalis Diei, Parens eſſe poſsit?

Cer-

Certum mihi fixumq; eſt, eum eſſe diciq; debere, diei cuiuſpiam parentem, à quo illa lucem ſuam partiatur. Lux enimuerò, decus, ſplendor, vita diei eſt: ipſa deniq; dies. Tolle vitam, ſuſtuliſti hominem, tolle lucem, ſuſtuliſti diem. Sunt autem ſui, orbi, non inferiores cœleſti ſole, ſoles; ſunt ingentes omniumq; virtutum fæcundiſſimi Heroes; à quibus tam illuſtre & copioſum lumen funditur, vt ingentem ipſi ſoli addant lucem, ipſoſq; pariant dies. Quodcunq; tempus, glorioſa magnorum Virorum occupauit virtus, quodcunq; magnifica poſſedit dignitas, quodcunq; ſolidà vendicauit gloria; tenebris vindicatum, die gaudet: eò præſtantiore, quò rariore. Nihil contra hũc caliginoſa obliuio, nihil turbida rerum tempeſtas, nihil obſcuræ inuidiæ nubes poſſunt. Nonne verò obſcuriſſimis tenebris dies illi tecti latent, qui præter communem omnibus, nullam aliam, aut Martijs ignibus, accenſam, aut ſapientiæ ſideribus illuſtrem, aut ſanctitatis facibus conſpicuam, oſtentant lucem? ad id quidem, dies à natura deſtinatos, vt ereptam noctis inuidiâ lucem reſtituant, palam experimur: ſæpe tamen à Dominis expectant munus, quod daturi videbantur. Premunt ignauos natales, ignauæ tenebræ; & dominorum cunæ, temporum fiunt ſepulchra, ni-

ſi ad gloriam egregiâ & illuſtri famâ vindicentur.

Vindicaſti verò Tu natalem Tuum glorioſiſſimè, Perilluſtris & Reuerendiſſime Domine, & medio conſtitutum cœlo, ſpectandum exhibuiſti. Dediſti lucem diei, quam alij mendicant, accendiſti ſidera, quæ multi extinguunt. Splendent lætiſſimè felices ignes, publicis honoribus ſplendent eximijs honorum meritis. Iniurioſè profectò, cùm eximia virtute tua, actum fuiſſet, ſi ſubtracto laudis honore, ſine teſtimonio benè meritorum, ſine dignitatis inſignibus, ſine geſtorum encomijs; priuata, non quidem latuiſſet, (nam cum diem faceret, oculos perſtringebat) verumtamen cohiberetur. Tametſi enim, ipſa ſibi virtus ſufficiat, nec aliùndè commodet ornamenta, non ideo tamen deeſſe debemus, cultus officio; quia non exigit. Vniuerſi uenerationem iure poſtulat, vnum hoc rerum omnium ſæculorumq́; pretium; & quemadmodum orbis, magnarum eius actionum theatrum fert, ita omnium mortalium animi, laudem. Imò quæ noſtra ornamenta exiſtimamus, virtutis ſunt. Illi faſces ad terrorem, ad ſplendorem purpuræ, ad maieſtatem coronæ Sceptra ad imperium porriguntur. Illius dignitas, cum ſe in aſpectum protulit, excipit continuò, excubans ad laudis monumenta fama: vt latè felix, illuſtris, ſerena

audi-

audiat, atq; hoc publico veluti honoris gaudeat cenſû. An vero Perilluſtris ac Reuerendiſſime Domine, dignitatis aliquod nomen geris, quia idem ſit virtutis, non eo ſolum dignior quo maior, verùm etiam quo melior? S. R. Maieſtatis Secretarium, curia Te agnoſcit? Pectus Tuum Secretum publicarum curarum domicilium. Apoſtolicum Prothonotarium, vrbs, orbis Regina ſentit? Tui animi ceris, Principes Sacri orbis, glorioſiſſimè exprimuntur. Canonicum ſuum Varmia, iuxta ac Camenecum veneratur? Tua magnitudo par pluribus. Summum poteſtatis diuinæ vicarium, illuſtriſſimus Princeps & Antiſtes *Venceslaus* Gomes de Leſno *Leſczynski* amat? tuum robur, Sacratiſſimæ Religionis fulcrû. Antiſtitê deniq; ac Pontificem, Hyppona, oſtentat? Tua virtus, ſummo culmine conſpicienda. Prodeat, cui tam ſpatioſus ſinus eſt, vt amplitudinem Tuam complecti ſe poſſe fidat; quâ non tantum honores Tuos, verùm omnium ſpes & vota exples. Scio, quam glorioſa per hominum & famæ præconia Tua feratur pietas, ſed ego paſſus laudis, oratione æquare non poſſum. Singularis hæc in ſe virtus, in Te eſt multiplex: & multorum laudes requirit. Diuiſiſti eius partes, per integra merita; atq; adeo, quæ in alijs virtus dicitur, apud Te, hoc ſolo appellari nomine, ſine iniuria dignitatis, non poteſt. Te cœle-

ſtes produnt flammæ ſacro pectore erūpentes; Te diuorum ſepiunt cohortes in patrocinium aduocatæ, Te victor fatorum, & mortalitatis, ſouet exercitus, Tuæ pietati obſtrictus. Obuerſatur autem menti, & altius eminet, animus ille Tuus, Dei Matris Virginis cultui, adeò deditus, vt eam pauci, tàm fideli obſequio proſequantur. Dies, eius honori; opes, augendo cultui impendis; vt iam non inter eos tantùm, qui Principum aulas, & gratiam conſtanter, ac magnificè obſeruant, conſtans magnificuſq; ſuſpiciaris: verùm etiam cum cœlitibus, de cœleſti Reginæ cultu certes. Fuit laudatiſſima Scipionis opinio, non poſſe facinus egregium, & ad poſteros duraturum patrari, niſi pietate mortalium, inuitati Dij, præſidiaria manu ſubuenirent. Itaq; victor ille fortiſſimarum gentium, & vniuerſæ Africæ domitor, victorias ſupplices, per dies ſingulos Capitolino præſentabat: vt pro earum gloriâ intercederet. Eâdem Religione cætera operâ exordiebatur; cum Ioui, earum rationes commendaret: vt à rerum ſacrarum violatione, arceretur mortalitas. Prô Iupiter, quem nullum fatemur! quantùm ſuperſtitio in animis potuit, & falſa vanæ religionis inuenta! Glorioſior tu Præſul Sacrorum, quàm ille armorum Imperator; cum nihil ſine Deo agis, cum integram dignitatem ante aras, proſternis; cum nullis conſilijs, nul-

lis

Iis factis, niſi quæ ſuperi approbaſſent, manum & fiduciam apponis. Humile, & Te indignum, opus cenſes, quod altius terris non aſſurgit; exiguum, quod orbis hic, complecti poteſt; non duraturum quod in theatro mortalitatis, ſcenam quamuis opulentiſſimam, exhibet. Audes, quo ſuperos obliges, quod loces ſuper ſidera, quod deniq;, Deo dignum ſit. Bonum publicum, currentis gloriæ Tuæ, Campus; Deus meta eſt: illi non dees, ad hanc tendis. Egone verò vt amplius de pietate Tua loquar? Quidquid etiam hactenus dixi, impetus fuit, non laus oratoris, vt enim quidquid impetu fertur, rapit omnia, non receſet, non deligit; ita oratio cum deſperatione virium languere cæpit, vrgetur autem ab affectu, præcipiti violentia ruit, mauultq; temeraria videri, quàm ignaua. Num etiã dicã de magnamitate? at illi nihil difficile nihil arduũ ad virtutis, & gloriæ culmẽ occupandũ. Nũ de liberalitate & munificẽtia? at hæc nullum præterit. Spargis opes, vt lux radios, per plurimorum commoda mortalium. Cenſus Tui, egenorum theſaurus. Num de ratione eximiæ moderationis, ad magnificentiam, ſine luxu exactæ? at hic ſplendor Tuus, ita illuſtris eſt, vt aciem declinem. Num deniq; de affabilitate ac Humanitate, cum ſummã dignitate grauitatis, coniunctã? Nimirum hic ſaltus eſt, mihi ex propoſito vitandus. Effor-

manda enim hic eſſet calamo, admiranda vtriuſq; temperies, & amabilis ſocietas. Quis vero color, tam felix aptari queat, quin hic expaleſcat? ac à ſuo vigore deſciſcat? vt omnium animos, in Tui amorem trahis, & adorabundos hærere facis! gratus pariter ac venerandus eadem authoritate, ſubiecta tibi delectas & terres, perſtringis & illuſtras, fulgur amabile, venerandum ſidus? Itaq; grauiter alij mecum agent grauiterq; requirent, cur tantas laudes prætermiſerim? cur tam glorioſa merita, encomijs non ornauerim! Et illi quidem cum id fecerint, implebunt officium, Tu tamen nequaquam meo vitio, illaudatus alibis. Maxima laus eſt, laudem mereri, in quam omnes conſentiant, & cuius ſilentium, inique ferant. Maxima etiam virtus eſt, quæ ſatis laudari non poteſt. Hæc cum expoſtulaturi intellexerint, mihi indignari nolent, Tu autem clarior ad gloriam aſſurges. Aſſurges, inquam, & ſiue factis Tuis, ſiue Eloquentiæ tuæ imperaueris, pro Te loquentur. Dicent, veram Heroum ſemitam ingreſſum, nullum in priuatis ædibus commodorum, quærere exitum: verùm quocunq; tendere videantur, in publico terminari. Dicent, libertatis ac felicitatis communis Authorem, operum gradus, non paſibus, ſed meritis ſignare; quod, cum non dicendum ſolum, verum etiam oſtendendum ſuſceperint; præ-

ter

ſer patriam,veſtigia quæ colligendis patriæ auxilijs,per exteros, ac non ita pridem per Galliam, magnus magnæ Legationis, *Illuſtriſsimi Principis Venceslai Leſczynski* Comes, impreſſiſti, colligent. Tuæ ille ſiſus prudentiæ multa ſapienter ſuſcepit, tuis nixus conſilijs, ardua negotia, feliciſſimè tranſegit. Pudeat verò illos, qui ſæpe præter corpora nihil in patriam ab exteris reuehunt. Tuus diſceſſus non alter cenſendus, quam curſus laudis, & iter ad gloriam ſuſceptum. Quemadmodum enim ſuſcepto eo propoſito, ſidera es imitatus, continuo gaudentia motu: ita eadem in progreſſu expreſſiſti, quaſcunq; obiuiſſes regiones, ijs illuſtratis. An non etiam ſuperaſti? ſidera lucem, quam extulerunt referunt, Tu eam in dies augebas, & cum liberaliſſimè impenderes, ſimul cumulabas. Maior reuerſus es, quam Te domo extuleras, famâ, laudibus, iudicio gentium, comitatu votorum. Nuſquam etiam peregrinus viſus es, quia virtutem, orbis hæredem, Tecum circumferebas. Agnouêre Te ſuum, ſapientum palatia,quia literarum,ac eruditionis familiâ, comitatum. Agnouêre, pietatis & Religionis veræ domicilia, quia omni genere virtutum conſpicuum. Agnouêre, Principum curiæ, quia conſilijs, promptis, grauibus, æquis, vtilibus,eximium. Agnouêre,vrbes & Prouinciæ, quia illis quoq; regendis,ut toties,feliciter

ui

uicaria poteſtate gubernatæ Pruſſiæ parem:
Creſcat igitur ad immenſam lucem, felix fortunataq́;. Gaudeat tam magno ſplendoris ſui aſſertore, ſentiat Te natum ſuum ſimul ac Parentem. Debeat ſæpius, ſemel oblatos, ſæpius acceptos natales; atq́; vt debitum obſequio exoluat, Tibi ſe, quàm diutiſſimè impendat.

PROBLEMA III

Vtrum cum Natali die, annuatim naſcimur?

Si æqua iudicij lance, munera vitæ ac fortunæ noſtræ pōderemus; neq́; temerè, arbitria rerum, vulgaribus permittamus opinionibus; non tam profectò facile, illene dies, qui nos primum vitæ dedit; an qui datos, renouat ac conſeruat, potior feliciorq́; habendus ſit, definiemus. Magnum eſſe ſuperum munus Naſci, nemo negauerit, cum primum, iucundiſſimumq́; ſit; cætera verò ſimul cū eodé enaſcātur: quantùm verò cenſendum ſit; luce eadem, poſt diuturnam temporum ſeriem exactam, frui, non decerno. Longè tamen inferius non eſt, cum id quoq́; iterum naſci ſit. Vt enim quo primum momento in uitam edimur, morti deſtinamur: adeoq́; naſcendo mortis paſſum occupamus: ita quo aduſq́; vſu vitæ gaudemus, toties naſcimur, quoties non morimur: hac ſola vtriuſq́; vitæ di-

diuerſitate, quod primam, parentibus, ſecunda dùm Deum debeamus: reliqua, à ſolo Deo munus profectum ſit: ſummo beneficio, conſortium omne autoris fugiente: ne diuiſa æſtimationis dignitas, minueretur. Lucem hanc quâ fruimur, quoniam viuere, ea frui eſt, reſpiciamus; nonnè ita ſe totam ſoli Deo debet, vt meritò, perennis lucis parens, apud ſapientes audiat; quod eam perpetuo quodam partu, fundat, eoq́; ſubtracto, continuò illa intercidat. Par vitæ noſtræ ratio, cuius ætas, partus quidam perpetuus diuinæ benignitatis eſt, nunquam, munificentiſſimæ beneficentiæ fæcunditate ſubtractâ, nobis non deſituris, quandocunq; ſumus. Mortibus viuimus, toties morituri, quoties viuimus: viuendo naſcimur, toties editi, quoties ſeruati. Quod ſi hæc omnium temporum ratio habetur, quantò eadem rectiùs certiuſq; ad natalem refertur diem, Natalem vtiq;, quia tempus eſt, iterumq; natalem, quia natale tempus eſt. An enim Natalem iam agnoſcamus, quòd olim natos voluerit? ambigamus autem talem dicere quòd ne interea gignat? gignit tamen cum morti obſtrictos, vitæ conſeruat.

Eſt igitur, eſt cur gaudeas, eſt cur inter Natalitia ſacra læteris, Perilluſtris ac Reuerendiſſime Domine; Natalitia inquam, nón ſolùm quia natali diei colendæ deſtinata, verùm etiam,

am, quod interea, iterum Tibi, Tuorumq; incolumitati, felicitati, gaudijs naſcaris. Intereſt Tui, Te ſæpius naſci, quia intereſt omnium: intereſt autem omnium, quia Tui. Publica vota, etiam bona, Tua ſunt: & Tua, publica. O diem illam fortunatam, quæ Te mundo edidit! fortunatiſſimam, quæ editum reddidit! Illa Tibi ſenſum rerum donauit, hæc à Te, quid ſentire debeat diſcit: illa naſcenti faſcias infantiæ obtulit, hæc faſcibus honorum conſpicuum, oſtentat: illa, intra maiorum virtutem, naſcentem recepit: hæc intra meritorum gloriam, latè fulgentem veneratur. Illuxiſti olim, nunc luces: olim fax, nunc lux, olim ſidus, nunc ſol, olim aurora, nunc dies. Vt enim ante, virtutis curſu, longè præuertiſti ætatem; ita nunc, eiuſdem emenſus ſtadium, augeris viribus, non laſſaris. Virtusne omnis metam non habet, an Tua? quod nondum ſubſiſtas, nondum anhelantem ad maxima animum, quieſcere ſinas? ambitioſior virtutum, quam pleriq; honorum. Non ſatis eſt multos præteruectum, glorioſiore meritorum culmine eminere: Te prætergrederis, & vbi hodie mereri deſinis, cras incipis, ibi autem incipis, quo multi, non peruenerunt. Et ego Te cum natali Tuo annuatim renaſci, auſus ſum dicere? atq; natalem vitæ, non virtutis reſpicere? vtrumq; reſpexi, ſed facilius erat ætatem, quam virtutem veſtigare. Nunc quo-

quoniam ad eam quoq́; ſermone deductus ſum, quia quicquid in Te laudandum aſſumitur, in virtutem deſinit, natalem pariter eiuſdem, cum natali temporis gratulor. Naſcere igitur hodie quoq́;, feliciſſimè diuq́; renaſcere, ſerò etiam, ac cum alijs moriendum eſt, nonniſi coelo naſciturus.

PANEGYRICVS

In laudem Illuſtriſsimi & Excellentiſsimi Domini, MICHAELIS RADIVILI, *S. R. I. Principis, Ducis in Ołyka & Nieſwiez. Hæredis in Kleck & Grodek. & Illuſtriſsimæ Iſabellæ Catharinæ* Sapieżanka, *Caſtelanidis Vilnenſis. Sub titulo.* Sacrarium Hymenæi. 1645. *nomine Academici.*

RAdivilianū Sapiehanumq́; nomen, aſſumptura oratio, niſi ſingulari eloquentiæ

robore, vires adferat inſtructas; audaciâ rui-
nam parat, *Sponſi Illuſtriſsimi*. An enim No-
mina veſtra, quæ tot ſæculorum famam,
pondere ſuo fatigarunt, ſine formidine ſuſtine-
am: aut nominum capacitatem, quæ maxima
terrarum decora, ſua magnitudine ambit, exi-
guo encomio includi poſſe abſq; temeritate
confidam: *Radiuilianum Sapiehanumq;* no-
men; auguſtæ Lituanorum Heroum Illiades.
Radiuiliana Sapiehanaq; domus; Atlantum
Reipublicæ patria. Vidi fatum meum, nec
ſermonem, animo perculſo imperare potui,
antequam veſtræ felicitatis aram tangerem;
atq; ab ea, animi impetrarem audaciam. Sunt
tamen vobis, ô auguſti *Radiuili* auguſtiq; *Sa-
piehæ*, illi oratores; quos ſuos Plinios Traia-
ni, ſuos Naſarios Conſtantini optarent: Mihi,
non quæ ipſæ cuperem; verùm ea, quæ aliunde,
de veſtra ac maiorum veſtrorum accepi gloriâ,
inter hæc fortunatiſſima nuptiarum ſacra, ſunt
dicenda.

Abripuerant grauem cogitationibus ani-
mum, Velleianæ querelæ: *Ineluctabilem fato-
rum vim, cuiuſcunq; fortunam mutare conſue-
uiſſe, conſilia quoq; euertere*: diutiuſq; fatis ſu-
is inhærentem, me mihi ſuſtulerant. Concuſ-
ſus orbis, afflicta principum dignitas, regno-
rum tumuli, mentem ſuis occupârant ruinis.
Hem noſtros conatus! quantis ſtudijs, famoſos

quæ-

quærimus interitus? vnum illud, inter tot calamitates diſplicet, ſi parua calamitate premamur. Poſteaquam pacis ſenſum perdidimus; maxima eſſe malorum remedia, maximã mala iudicantur. A publicis demum fatis, ad familiarum conuerſus fortunam, poſteaquam intra orbis rudera, proiectas ingentium olim Heroum tabulas, conſpexi: & illuſtre famæ decus, infami poſterorum ignauiâ contemptum: gemitu pro voce vſus, vt ille quondam Heroum filios noxas, ita nobilium ædes, *Nobile Ignaviæ Atrium*, Romanarum non immemor imaginum, dixi. Sumpturus deniq; tam audacis Satyræ à me pænas, mentem ad cogitationum modeſtiam, à tumultu cogebam: miratus qua vi, quo impetu, placidæ paſſu quietis deturbatus, iactarer. Stitit interea, ſubitum ante oculos, Diuorum Tribunal, ac rursũ conſtantiam animi, ſtatione infirmâ deiecit. Rediêre tamen vires, vnius è comitibus ſacri ſenatus oratione auctæ. In id me incidiſſe ſpectaculum, cuius cauſas agitaſſem animo. Adeſſem deliberationi: an imagines quorumdam in atrio nobilitatis locandæ? Moram breuẽ paterer. Multa quæ ſcire maximè cuperem, accepturum. Cognitum in ſuper ſibi, me *Radiuilianæ Sapiebanæq;* laudis cupiditate plurimùm teneri. Hoc fore ſupremum ſpectaculi præmium. Firmatæ

Vultus deinceps Diuorum noſcitanti, adiecit Maieſtatem venerabiliorem reddi, dignitatis æſtimatione. Diuos ſincero gaudere cultu, non cognitione curioſâ. Prodidit tamen lyra, ſuum Apollinem, qui conuentûs rationes propoſiturus, fronte decorè ſeuera, ſermonem exorſus. *Mortales iniuriæ, immortales non tangerent mentes,* commilitones, *niſi mortale genus, immortalia ſua crimina faceret dii talia optat. Quid diui dicimur, ſi tantum humanæ licet in nos inſolentiæ; vt non contumeliis ſolùm, aut conuitijs agitemur, verùm turpiſsima ſeruitute ad eorum vitia fouenda adigamur? Religioſi ſumus vt ſcelera promoueamus: in quæ niſi conſentiamus, hoſtes habemur. Reſpicite auguſtũillud nobilitatis atriũ, illã gloriæ vetuſtiſsimã ſedẽ; tanta hodie, libertate à multis deſpici; quantâ ante, celebrabatur veneratione. Olim egregia Heroũ facinora, domatæ lauro victrici frontes, empti contemptâ morte triũphi, imaginũ celebrabantur honoribus: nunc, ſi quis rudẽ tabulam, ſignatis maiorum lineamentis impleat, protinus eorum inſeri contendit numero. Haberi cupiunt, quales uiuere recuſant. Nobilitatem, illuſtrem claritatem à maioribus deriuatam adferre, nemo ignorat: at nunquid fonte puriſſimo, vitiorum trahitur infamia? Omnes nobilitati ſemper fauemus; & quia rebus publicis vtile eſt & quia valere debet clarorum virorum memoria; at ignauiam labori, fortitudi-*

nem ignauiæ, liberalitatem luxui, virtutem conferri ſceleri, ac paril us donari præmijs, ſuperum mortaliumq́; odio execrandum. En ſigna veſani faſtus, en, (ponè autem ingens collectarum vndiq́; imaginum iacebat cumulus) *fœdis vitiorum corruptam gloriam coloribus! vindicate nobili ſupplicio, nobilem iniuriam, & de ſæculorum ſecuritate, vno iudicio decernite.* Mouerat ſtomachum Apollini, rei indignitas; quemadmodum cæteris, indignatio Apollinis. Adferuntur ſublatæ humo imagines, facileq́; damnantur. Primam ſententiæ ſeueritatem, tulit, infelix cuiuſpiam effigies. Ingentem corporis vmbram, maiores latè recenſiti; vndiq́; ſtipabant; uultus omni vigore deſtitutus, ſemiuirum prodebat. Riſêre ex aſpectu vniuerſi, ac *Tollite,* inquiunt, *infauſta ſuperbiæ monumenta. Ne tamen ignobilis cenſeatur, ſtemma illi Pinnoteras eſto.* Vt enim animalium genus, hoc nomine appellatum, (Plutar. in morali.) quo tutius ſit, inanium concharam teſtis ſe condit; & cum accreuerit, migrat in capaciores: ita hi maiorum ſe titulis tuentur, cùm proprijs diffidant virtutibus. Nec pœnam grauem ſentiet. *Aquis date tabulam.* Talium, hæc domus patria. Alterâ deinde ſublatâ, tantus torpor in manibus, tanta in corpore mollities, tanta in vultu ignauia emicuit; vt protinus conclamaretur. *Fugitiuorum ab altaribus, &*

ſacris, hanc videri formam: vt enim illis nihil ſupereſt præter mortuorum ſepulchra: (Plu- tar.) ſic qui verâ ſunt gloriâ deſtituti, maio- rum imaginibus inſerunt ſeſe. Fuit tamen qui acriore excuſatione, ignoſcendum dice- ret.

Nam quidquid uoluit, veluti hoc virtute peractū;
Sperauit magnæ laudi fore. Horat.

Verùm confracta demū, calcatāq; illo impetu, at tū;

Nil niſi cecrepides, truncoq;, ſimillimus Hermæ.

Duraſſet dubio procul, longioribus temporis protractum ſpatijs examen, niſi a miniſtris, nullam in tanto numero diſſimilem primis, re- periri imaginem, fuiſſet intellectum. Decerni- tur igitur buſto ſimul dandas, atq; cùm mate- riem, ingenti flammâ rogus concepiſſet; libera- lioribus luſum iocis. *Claros viros, clara dece- re funera. Viri nobilia pectora, imis facibus, & in cinere ipſo, generoſas fouere fauillas. Fu- moſas imagines, fumo gaudere. Non pati tene- bras, animum in luce parentum educatum, in lucem cluctari, lucemq; amare.* Mutata tan- dem ſcena uultuum; hilaritas expectationis, euentus præſagiebat fortunatos: cum à longè aduentans conſpicitur, fronte & ipſe liberali- ori, magnificoq; conſpicuus comitatu Hymeneus, propendentibus capillis & cæ-

ſarie floribus odoratis innexâ. Par, quod cæteros ante cedebat; quocunq; pergeret, roſas ſpargebat, atq; lilia: quod autem reliquos ſequebatur; imagines ſingulas; præferebat manibus, latè glorioſa luce coruſcas, totiq; conſilio admirandas. Apollo vt gratum exciperet proniore beneuolentiâ hoſpitem, lyram fauſto carmine inſtruxit.

Vnde caſtas? vnde tædas?
Vnde feſtos apparatus,
Hymenæe Nuptiali
Cincte pompâ gratiarum
Viſus ô pridem reportas ? expetite millies.
Quò peregrinatus hoſpes
Vix redis? an lætiorum
Ferias amœnitatum
Altero ſub ſole nactus,
Tetricum quid eſſe, noſtra ſuſpicaris otia?
Hymenæe Nuptiali
Cincte pompâ Gratiarum,
Hymen ô ades, bonorum,
Viſe campos ſarmatarum,
Tuta Rege *Vladislao* Regna viſa pronubus.
Tu ſereniore vultu
Riſeris poſtquam, proteruæ,
Ad tui uultus leporem
Pectorum nubes recedunt;

Ad-

Adminiſtra fauſtitatū, mens canit, bono omine
Adſit Hymen, adſit ille,
Non ſoluta, nec ſoluenda
Gordij plus arte nodi
Fœderum qui iura ſancit!
Annulo, qui gemmā & aurū, vno maritat artifex
Hymenæe ne morâre,
Quid meis plectris recuſes?
Exilit Lituana tellus.
Dum venis: tibi ego Appollo
Obuiam mittor, petito prælufurus hoſpiti.

Poſteaquam ab Hymenæo ad ſubſellia ventum, datis, pariterq; receptis ſalutationibus, Hymenæus Senatum allocutus. *Vt quæ mea mens ſit, vobis ô Diui proceres explicarem; voluì non verbis tantummodò proponere, verùm etiam in his, quas veſtris aſpectibus offero, imaginibus ſpectari. Videtis geminas, veſtris oculis digniſſimas tabulas; cùm auitá gloriâ, tum ſuorum heroum virtutibus illuſtriſſimas. Radiviliana altera, altera Sapiehana eſt: vtraq; par ſuo nomini, vtraq; veſtro amori. Hæc inclyta Lituani orbis ſidera, fœderibus meis iungenda decreui: priùs autem vobis ſpectata volui; vt veſtro commendata iudicio, ſacrario Heroum inferrem. Atq; ille quidem hilaritatis meæ autor, Illuſtriſſimus Michael Radivilus, S. R. Im-*

perij Princeps eſt: hæc autem, delicium veſtrum, Iſabella Sapiezanka Caſtellanis Vilnenſis. Plura dicere volenti Hymenæo, plauſus ſermonem rapit. *Nota ſibi olim clariſsima ſponſorum merita, Dignum Radivilium, ſui generis honoribus, dignam Sápiehanam virtutem, ſæculorum veneratione. Prinſquam tamen auguſtis imagines inferrentur penatibus, laudes* vtriuſq; ſponſi, breui encomio tabulis adſcriptæ.

MICHAEL CAROLVS
Radivilus
S.R. Imperij Princeps, Dux in Olyka & Nieſwiez Hæres in Kleck & Grodek, &c:

Vt
Maiorem gloriam, cum vitâ acceptam,
conſtanter retineret; præuertit ætatem animo:
nec tempora expectauit, at occupauit, merēdo.
Ternâ luce in ortu *Illuſtriſsimus,*
Romani Principis Titulos
Radiviliani generis ſplendorem, *Koreccians*
ſidus,
ad meridiem ſummæ ſpei euexit.
Reipublicæ ampliùs profuturus,
Hominum regnorumq; exterorum præſidia
in ſe collegit; ac patriæ retulit.
Quocunq; cum germano ſuo

Il-

Illuſtriſsimo Ioanne
venit,
aut inuenit domicilium famæ *Radiuilianæ*,
aut comparauit,
Auguſta mens, auguſti corporis ſortita ſedem,
Heroem vultu ſpirat, gerit pectore.
Bono tuo Lituania,
Radivilianis ſignum militare, publicum,
committis præſidijs;
Suſtinebit patrijs aſſueta trophæis manus,
Lituaniæ uexillum:
nec Romanam virtutem deſiderabis,
cum *Radivilianas* Aquilas ſequeris.

ISABELLA CATHARINA
SAPIEZANKA
Caſtellanis Vilnenſis
Magni generis, & magnarum virtutum
Hæres.
Moribus verecundiam, animo ſingularem
pietatem ita coluit;
Vt cœlis probaret:
ita probauit,
Vt ſuperûm mutua mereretur officia.
Maximis parentibus progenitæ,
Illuſtriſſimum conſortem *Michaelem*
Radiuilum; maximis virtutibus commendatæ,
fortunatiſſimum conſortium;

His ita actis, proceſſêre vniuerſi ad ſacrarium; eo,quo acceſſerat ordine præeunte Hymenæo: floribus quàcunq; incederent, liberalius cùm cantu ſparſis.

Quidquid Sicanio metis
Horto, Flora, recentium
Et roſarum, & liliorum:
Purpuræ quidquid rubentis,
Pictis colligis è genis
Pæſtanæ violæ, & croci;
Quidquid è fragrantiore
Nobilis Cirrhæ vireto, &
Pulchris Heſperidum ſatis,
Te libare iuuat: nouis
Cornu copiæ maritis,
Funde pleno; flos coronet
Sponſorum penetralia,
Et fauſtos thalami lares,
Hoc pauimento ſuperbus
Suam ponat dignitatem.
Sic vos floribus additos,
Ætatem inuiolabilem,
O ſponſi! diu virere,
Supremi iurant cœlites.

Patuit in progreſſu, latiſſima ſuſus planicie campus; cuius in medio, vernans collis, lento niſu aſſurgebat,ambiente vndiq; latera,innocuo igne: qui vt quondam apud Perſas, ita hic honorum perpes cenſetur cuſtos. Coronabant uerticem collis immortales lauro ſyluæ, quibus ingeniorum triumphatrix natura, maximarum inſignia dignitatum, inſulas, mitras, diademata, arma, præterea Polona, gladios, ſagittas inſeruerat; vt in corticibus excreſcerent arborum. In ipſo culmine, ingens & admirandum Mauſolætum aſſurgebat,fronte his uerbis notatâ. *Sacrarium Hymenæi*. Adamantina conſtiterant parietes mole, ianua candido ebore, feneſtræ lucidiſſima cryſtallo, ad Ortum, meridiem, Septentrionem atq; Occaſum conuersâ. Adamas, nuptialium fæderum perennitatem, tali loquebatur lemmate. *Poſt Ferrum & Ignes, Idem.* Ebur animorum candorem requirebat. *Amicus Non eſt, cui Minus quàm tibi credis.* At ſolis perpetuum lumen, eorum imagines, auguſtæ ædi notabat inferri, quos vulgo exceptos,virtus in publica luce collocaſſet. *His Nunquam Sol occidit.* Patefacto autem aditu,ô quàm auguſta ſimul patuêre ſpectacula! Vtinam,tam firmo memoriæ vti licuiſſet obſequio, quàm felici oculorum! Qui illi uultus? quæ maieſtas? quàm amæna honorum

perenſ

perennitas? Diſtinguenbatur parietes illuſtri auro,& infinita ingeniorum oſtentatione, mirùm quantum, animum delectabant. Alibi manus complicatæ expreſſæ, adiecta epigraphe. *Mutuo Præſidio*; Alibi annuli innexi. *Vna duorum Æternitas*; Alibi torques aurei penduli, *Amicitiæ Familiarum, ſæculorum nexus*. Cætera fallax mens dimiſerit,an ſuſtulerit gaudium, decernere non poſſum. Illatis enim ſacrario, atq; loco cæteris ſublimiori, collocatis imaginibus, tota curia in fortunatiſſima vota ſoluta. *O ſponſi Illuſtriſſimi, inclyta magnorum Radiuiliorum ac Sapiehanum propago! Tot ferte vitæ ſolatia, quot meremini vota, viuite pares virtuti Radiuilianæ, pares Sapiehanæ; deniq; veſtra ſit, tantis ſæculis veſtros maiores comitata felicitas*. Nondum tamē expleuerant voluptatis digniſſimæ cupiditatē. Deſignantur duo oratores,laudes vtriuſq; familiæ his præceptis dicturi. In *Radiuilianis Sapiehanisq;* laudibus, cùm plurima dicta fuerint, plura ſuperfutura. Orationis igitur contentionem eò conuertendam,vt cultus meritis, cum affectu impendatur: non vt *Radiuili & Sapiehæ* pro meritis oxornentur. Nihil deſiderari ad Illuſtriſſimorum nominū claritatem, verùm ad delectationem. Sic luce tota fruimur, & tamen libet toties clariſſimè frui: non quòd ignota ſit, ſed quia grata. Itaq; primum laudes

Il-

Illuſtriſſimæ Domus *Radiuilianæ* compendio perſtrictæ.

Duo ſunt potiſſimùm, quæ illuſtrem Heroum gloriam reddunt: deriuata à ſanguine, & conſeruata virtute, clari generis nobilitas. Fit enim vt ſiue progreſſu defeſſus, ſiue diuturnitatis pertæſus, langueſcat in poſteris maiorum generoſus impetus; ac tandem concidat. Quantis enim neceſſe ille vires muniat præſidijs? quàm firmatum aduerſus temporum calamitates pectus aſſumat? quem nec laboris improbitas deiiciat ſtatione, nec temporis viciſſitudo, conſtantiâ. Multi, primam collis duritiem, non patiuntur; plures, languent in medio; pauciſſimi, ad culmen indefeſſo gradu pertingunt. Fortunatam Te Illuſtriſſima Illuſtriſſimorum *Radiuiliorum* domus, in qua, quiſquis ad vitam editur, ad gloriam deſtinatur. Magnum eſt ſortis veſtræ clariſſimæ decus, cunas Romanâ fulgere purpurâ, ducâli ornari mitrâ, Principum ſplendere ornamentis: maius tamen eſt, virtutis tranſmiſſæ à maioribus, cum vita, patrimonium accipere. Communis ratio naſcendi, diuiniori quadam prærogatiua, prædita in vobis colitur; vt cæteri quidem naſcantur Homines, vos etiam felices. Quicunq; *Radivili* Nomen audis, patriæ ſalutem cogita. Nullum in hac familia caput, niſi coronatum, nullæ manus, niſi faſcibus honorum inſignes.

Cen-

Cenſeri nomina iubetis. Exigua virtus, quæ numero capitur. Reuocate illos, Reipublicæ ſalutares, hoſtibus ſemper formidatos, Nicolaos, Albertos, Ioannes, Georgios, Chriſtophoros, Carolos, Alexandros, Exercituum Duces, Palatinos, Archimareſchalcos, Epiſcopos, Cardinales, & ad laudem, reuocaſſe ſufficiet. De *Radiuilis* multa dicere opus non eſt, cum famæ illuſtris Oratio, publicas aures impleuerit: dici tamen pauca non poſſunt, quia magnitudine meritorum ſermo interceptus, exitum non reperit. Si patriam reſpicimus, nuſquam *Radiuiliana* ſe ſpectandam, non offert virtus: ſi ad exteros conuertimur vbiq;, eadem fixit trophæa gloria. Quanta, quanta Curia eſt, *Radiuilis* conſtaret, ſi quemadmodum merentur, immmortales viuerent. Quanquam etiam cùm mortales degerent, Senatum *Radiuilianum* facere poterant; cum plures ſimul *Radiuili* Senatores, Capitolia Lituana implerent. Non immeritò igitur Romani Imperatores palatiis ſuis, *Radiuilianas* intulêre imagines; vt quoniam magnitudo virtutis exundans, Lituaniâ capi non poſſet; imperij amplitudinem, admiratione occuparet. Hoc eſt Senatores vnius Regni, & totius orbis eſſe; niſi quod maior cenſeatur dignitas, iudicio, quàm fortunâ, capeſſere dignitates. Aliud ſoli virtuti contingit, aliud ſæpe fortuitis caſibus tribuendum.

Tenetis verò memoriâ, bella ab ijs geſta, du-ctas in triumpho prouincias, ſubiugatam Li-uoniam, Moſchouiam debelatam: tenetis, in-quã,& tamẽ non ſinitis illaudatũ præteriri deli-ciũ illud orbis olim Lituani,nũc ſuperi; *Alber-tum Radiuilum* Supremum M.D. Lituaniæ Archimareſchalcum, Tuum Illuſtriſſime *Sponſe* Illuſtriſſimum Auum. Quantus ille, & quàm par parenti ſuo *Nicolao Quarto, Archimareſchal-co & Cancellario M.D.L. Palatino Vilnenſi.* Quam auguſtus comitatu Illuſtriſſimorum Fra-trum *Nicolai* V. *Palatini Vilnenſis, Georgij Epiſcopi Vilnenſis, & Cracouienſis, S.R.E. Car-dinalis, Liuoniæ Gubernatoris,* Stanislai Ge-neràlis vniuerſæ Samogitiæ Capitanei. In ſumma poteſtate ſummam animi religioſi pie-tatem, in maxima fortuna, maximam moderationem, mirabili copulauerat concordiâ. Trophæa virtutis poſteris i-mitanda relicturus, Sacrum Klecci cælitum honori Mauſolæum, magnificis erexit impen-ſis: tum ſe fore glorioſum ratus, ſi ijs in orbe uiueret; ad quos è uita erat tranſiturus. Quid ſunt moles, famæ populari captandæ poſitæ, niſi ingens ruinæ materies? quid prodiga ad ſui conſeruandam memoriam,profana opulentia? præterquam fumoſum mortalitatis pretium? Tantùm fidei merentur coloſſi atq; marmora, quantùm tempora. Nihil à mortali manu,

im-

immortale ſurgit; præter id, quod ſupêrum cura, immortale fecerit. Intellexerat itaq; Illuſtriſſimus Princeps, *Albertus*, nihil aut ad gloriæ ſufficientem magnitudinem excreſcere, aut ad inconſtantiæ ſuperandam viciſſitudinem ſtabiliri, niſi pietas apicem operi imponeret, & vires adderet. Hæc ſola virtus communem nobis facit Deum, & quodcunq; opus aggredimur, illo occupat. Non igitur fortuito euentu, neç humana ſolùm induſtriâ factum; vt gloriâ ſupra fortunæ viciſſitudinem euectâ; quodcunq; opus aggrederetur, optato concluderet euentu. Patuit id, cum ſemper, tum legatione â Republica Polona ac Lituana ad Rudolphum Auſtriacum Imperatorem, tantâ gloriâ, pæractâ, quantam ſolus, *Radiuilus* referre poſſe videbatur. Nondum etiam patriæ deſiderijs inuocari deſijt *Ioânes Albertus Radiuilus*, tanti parentis magna ſoboles, & magnæ ſobolis *Ioannis, ac Michaelis*, tantus parens. Hic pietatis paternæ impetu vltra prouectus; eâ Ducalem Maieſtatem, Românis liminibus adſtrauit religione: vt breui interpóſito interſtitio, cœlorum ciuis, haberi mereretur. Quidquid egit, ac dixit, literis, aut Deo ſacrum voluit. Vt deniq; *Radiuilianæ* pietatis hæreditatem non ſine titùlo ad poſtêros tranſmitteret: alterum ex cariſſimis natis, *D. Michaelis*, â ſe impenſè, ſacris ſtudijs atq; peregrinationibus

cula

culti, nomine; ad imitationis ſtudium obſtrinxit. Manent Te tuæ Panegyres, Illuſtriſſime *Alexander Radziuil*, M. D. L. digniſſime Mareſchalce, idem pietatis *Radiuilianæ* memorande cultor. Tua tamen tum alia glorioſiſſima facinora, tum eminentiorem reliquis Pietatem, non admirari impenſiùs non poſſum. Illuſtriſſime *Alberte Stanislae Radziwil M. D. L. Cancellarie*. Stabit Ołyka, ſtabit Pinſcum, litteris ad Reipublicæ commoda; templis atq; aris, ad Diuorum cultum inſtructa. Pauciſſimis liberalitate in ſuperos comparande Princeps, paucorum famam, maximorumq; Herorum feres. Quantò Tu felicior illis, qui opibus ſuis luxum, ambitionem, auaritiamq; comparant? quantò prudentior alijs, qui opulentiã, arcis claudunt, & ea ſeruando perdunt, quæ ſua ſpargendo feciſſent. Gloriare, quòd Tuum munificentiæ ingenio feceris ſæculum, antequam veniſſet; vt cùm Tu quoq; abfueris, non abſis. Gloriare, quòd tunc quoq; opes largiri poteris, cùm dare iam deſieris; quemadmodum & nunc, cum das, eaſdem habes. Hac ratione auro leui, pretium datur perpetuum; hac induſtriâ, damna mortalitatis inſtaurantur; cum res caducæ, immortalitati inſeruntur. At ſiſte anime. Finem ſermonis non inuenies, niſi feceris. Impetum neceſſitate cohibe, & quemadmo-

modum ſermonem *Radiuilianæ* litaſti venerationi, lita ſilentium.

Radiuilianas Laudes, Sapiehanus continuò excepit Orator.

Ea quoq; *Sapiehanæ* gloriæ ſingularis eſt dignitas, vt cultores ſui, præteriti æui remotiſſimis ſpatijs intromittantur, & felicitatē materiæ ad præſentiam tranſeant poſteritatis. Debet *Sapiehano* nomini vetuſtas glorioſum teſtimonium, ſucceſſura ætas cultum. Hic enimuero eſt magnificentiſſimus huius illuſtriſſimæ familiæ comitatus, hæc auguſtiſſima pompa, hoc heroicum famulitium; ſæculis maiorum ſtipatum incedere, antiquitatis ſimul ac poſteritatis præſentiâ ambiri, adactam in obſequia virtutis fortunam in triumpho laudum oſtentare. *Sapiehana* pariter laus cenſetur, certare cum maioribus; melioremne vitam natis dederint, cum illos intra ampliſſimam reciperent gloriam: an verò acceperint ab ijs; cum eiuſdem gloriæ poſſeſſionem, maximorum meritorum acceſſione cumulatam, ſibi ſentiunt referri. Age verò audacia, quandoquidem aciem perſtrictam ſubmittere cogeris, abſolue te à crimine confeſſionis verecundiâ;

&

& ne uolens, immenſæ gloriæ decora, præterire videaris, debilitatem prode. Ignoſcite, immortales Spiritus, neceſſitati; quam coactus ſequor: & quamuis me Patria vniuerſa, anteacta ſæcula, ac ingens poſterorum deſiderium ad dicendum impellat, ſilere tamen permittite. Liceat verò, liceat in tranſitu plauſum gratæ vocis triumpho excitare, & vos Regni fulcra, Martis fulmina, Patricium omnis ætatis florem, deficiente ſpiritu orationis conſalutare. O inuicti Lituaniæ Scipiones, nobiliſſimi Metelli, prudentiſſimi Catones, fortunatiſſimi Cæſares! Non facio delectum inter pares, ad æſtimationem autem virtutis; Te inuoco perennibus memorãde patriæ faſtis, *Ioannes Sapieha*, Mareſchalce & Capitanee Viteपſcenſis ac Brasłauienſis, ſupreme M. D. L. Secretarie. Obſtrinxiſti Reipublicæ noſtræ fidem, ad immortalem Tui cultum; quando ne perfidia Hlinſcij impetu quò cũcta rapiebat, publicam conuelleret fortunam; patefactis illius dolis ac conatibus: maxima pars, rei benè geſtæ, obſtitiſti. Merueris illud glorioſum SIGISMVNDI I. Regis Poloniarum elogium, quo Diui *Caſimiri & Alexandri* Regum anteceſſorum, *Cariſsimus Fidißimuſq; Conſiliarius* appellareris; plura nihilominus atq; maiora encomia, à ſucceſſura perennitate audies, & quæcunq; tempora Hlinſcianum ſcelus execrabun-

tur (quæ autem non execrabuntur) tuam illā ſidem, tuum ſpiritum, ſalutis priuatæ, in cauſa publica contemptorem, prædicabunt. Quàm ingenti cum apparatu laudis coniunctus Tibi ſpectabitur Illuſtriſſimus *Bogdanus Sapieha* Palatinus Smolenſcenſis, in quem natura, fortuna, & virtus, tantùm contulerant, quantùm multis ſuffeciſſet. In ſago vir, in acie Dux, in toga ciuis, in Senatu Polonus. Illuſtriſſimam ſeueriæ Principem conſortem habuit, vt ſuo, & coniugis ſplendore, Polum Lechicum clarius illuſtraret. Quàm inclytâ dignitatis pompâ conſpicui, minorum mortalium funera deſpicient? *Iuanus Sapieha* Cancellarius M.D.L. *Stephanus Sapieha* eiuſdem Notarius, *Andreas Sapieha* Palatinus Nouogrodenſis. In quantum verò virum *Andream*, & quàm illuſtrem ſermonis impetu incidi! Nondum ô Heros glorioſiſſime, à tuis pedibus ſupplex Moſcouia aſſurrexit; nondum à terrore recepit animum. Ille, ille impetus, cùm exiguâ quatuor millium manu, ſexies quaterna millia exercitus Moſchouitici cæcidiſti; tam fortis, tã vehemens, tam diuinus fuit: vt in immortalitatis memoriam irrumpens, ſæculorum obliuionem expugnares. Duxiſti in triumpho captiuos, non tam Moſchorum Palatinos, quàm iniurias temporum; exuiſti hoſtem caſtris, tormenta bellica, ſigna, haſtas in trophæa perennan-

nanda erexiſti, quid ad immortalitatem adijci poſſit? ſed & ille præterfluens victrices campos, amnis Venda, tuam gloriam effuſus latiſſimè prouehet, tuis lauris ornabit littora, tuis ſuccinget latera palmis, nobilis vbiq; triumphator. An aliud præſtet Volga, & Oka, *Sapiehanæ* fortitudinis victimis, & eiuſdem hoſtis ſanguine, gloriæ conſecrata. Sileat Sparta Leonidam. Dabimus *Ioannem Sapieham* Capitaneum Vſuiatcenſem, militum tantum modò numero Leonidæ parem, pugnâ fortiorem, meliorem acie, feliciorem ſucceſſu. Pugnauit pro Leonida locus, at hic, vt defenderet militum paucitatem, ſolam virtutem in exercitũ adſciuit; quam, octo ſupra decem cæſorum capitum millibus, hoſtis adorauit: centum verò millium exercitus, vel ipſo terrore Suiſcij Tyranni terribilis; pernicior ſuis Aquilis, fugam intra Europam ſiſtere non potuit; quin per Perſiam, Aſiaticamq; Scythiam, Barbarorum infamiam, & *Sapiehani* nominis gloriam prolaturus, diffunderetur. Ite malè auſpicatæ aues, ite! & veſtrum Iouem, extra Europã, imò orbem quærite! vt eius ſatellitio adiungamini; ſed imbelles, & inermes. Vbi robur? vbi poteſtatis diuinæ mẽdax maieſtas? vbi fulmen? Exarmauit virtus *Sapiehana*, quos ſcelus armauerat; & in patrio ſtemmate ſagittas defixit, vt ad Polonam Aquilam, fulminatricem vim refer-

animus publicarum curarum ſenatûs; potentia, præſidiorum patriæ. armamentarium; vires Reipublicæ fulcra. Induiſti annulo digitũ, animũ Republicâ; & vt bis parens digniſſimus viueret, Tuũ illius factis & Magiſtratibꝰ inſpiraſti animũ. Qua etiã verborum dignitate vos reuocem Perilluſtris *Paule Sapieha* Caſtrorũ M,D.L. Metator, Perilluſtris *Friderice Sapieha* Capitanee Grodnẽſis, Illuſtriſſime *Thoma Sapieha* Palatine Nouogrodnenſis. Omnes magni, quia *Sapiehæ*; maiores tamen, quia tales, quales vos vniuerſi ſuſpicimus. Tu porro cæteris illuſtrior, glorioſior, fortunatior, inter hodierna tuæ lætitiæ auſpicia prædicari mereris Illuſtriſſime *Andrea Sapieha*, Caſtellane Vilnenſis, inclytæ diei huius auſpex, & digniſſime, *ſponſæ Parens*. Miramur tuum in patriæ cauſa, ſæpius deuotum ſpiritum; miramur pronam in omnes, ac præſertim ſacrarum familiarum cætus liberalitatem: amorem tamen noſtrum, quàm admirationem mauis: cui nos lætitiam cum gratulatione, hodiernam coniungimus. Quantus à Te fulgor, quantum decus *Radiuilianis* hac luce accedit ſideribus? Accedat & creſcat, nos ſecuturæ deinceps laudi, præſentibus honoribus præludimus.

Plaudamus! ſupero lux noua ſidere

Ingentis vehitur nuncia gaudij.
O lux! non popularibus
Decantanda triumphis
Fortunata venis, ſed comitantibus,
Si non cincta venis menſibus; impar es
Sponſorum meritis dies,
Fortunæq; vocanti.
Nec menſes ſatis eſt ducere, menſibus
Annos annumera, diuitis inclytos
Annos carmine gloriæ,
Puri germina cœli.
Virtutis pretium, quærimus arduæ
Atq; annis iterum ſæcula iungimus;
Voti non datur exitus
Tanto innexus honori!.
O quantis melior temporis aurei,
Seſe exercitibus conglomerat cohors,
Ite, ite, & *Radiuilias*
Æternùm collite ædes.

Hæc ex communi voto, & veſtræ ſælicitatis afflatu, recitaui, *Sponſi Illuſtriſsimi.* Quid tandem? Fortunatos vobis ſucceſſus præcer? an eoſdem vobis, ac Patriæ gratuler? Non poteſt deeſſe ſpei certitudo, quam ſuperum fauor promouet; nec ſuperum ibi deſiderari beneuolentia, vbi virtutum certa ſunt merita. Vbicunq; *Radiviliana* Aquila ſedem fixit,

ſon-

ſundauit proſperitatem. Expanſas alas habet non tegit pectus patriæ ſacrum; nec ſubmouet humeros,eius gloriæ ferendæ expeditos. Habeat ſuam ſibi Iouis fabuloſam miniſtram, atq; fulmine ad terrorem armet. *Radiuiliañam* Aquilam *Sapiehanis telis*, quisquis ſuſpicis inſtructam, ſi Ciuis es, Patriæ gratulare, ſi hoſtis, fidem cum obſequio cole, ne fatum tuum aduoces. Surgite mentes! Quidquid humi ſerpit, infra *Radiuiliana* auſpicia iacet. Aére libero Ales gaudet? libertatis auitæ ingens decus, libertati propagandæ natum. Sidera continuo volatu petit? nunquam magnis defeſſa auſibus. O diuinam tuam vim, fortunata *Radiuilorum* Aquila. Exceſſiſti terrarum humilitatem, exceſſiſti, & ſimul temporum iniurias, virtutis impetu euaſiſti. Perge Deo Duce, Patria fauente, noſtris votis comitantibus; & ſæcula, qua gloriæ felicitate diu viciſti, iterum vince. Cumulaſti robur *Korecciano* tractum ſanguine, auxiſti vires *Sapiehanis* armis, enitere ad perennis nominis ſolem, factorum gloriâ; & barbara lunæ cornua tranſuola. Nec *Leones Getici* minas, arteſq; parent. Sensêre illi ex Caroliana clade, huius Alitis fortitudinem,& ſi rurſus audeant, ſentient. Ambitioſa quidem illa Moſcouiæ Aquila, etſi veſtræ videatur concolor ac æmula; imparem tamen ſe vobis pariter confeſſa, *Radi-*

diuiliano, non rarò fugata robore. O boni cœlites! ſeruate fortunam, ſeruate proſpera diu nobis, diu vobis hæc *Radiuiliana Sapiebanaq;* auſpicia. Neq; enim *Radiuiliana*, aut *Sapiehana* ætas, alijs, quàm Diuinorum, atq; patriorum commodorum, conſtat incrementis.

PANEGYRICVS

In laudem Illuſtriſsimi & Excellentiſsimi Domini, D. SIGISMVNDI *à* DONHOFF *S. R. I. Comitis. Et Annæ Tereſsiæ Oſolinska Supremi Regni Cancellarij Filiæ. Sub titulo.* Sidus publicæ lætitiæ, *nomine Academici. Varſauiæ* 1645.

COncordi ſapientiæ Senatu edictum, *Fortunatiſsimi Sponſi*; eàm tantum factorum æſtimationem laudis veræ, ferre dignitatem: quæ publicis encomiorum ſuffragijs, gloriæ

riæ intromittitur ſacrario. Honor enim, cuius ſemen laus eſt, non priuato, verùm publico iudicio conſtat, teſtimonio creſcit, præſidio conſeruatur. Blanda laudum educatrix, domus priuata, ſi melle adulatorio partus ſuos paſcit; ſimio, turpior ſimia deprehenditur coluiſſe. Experientiæ iudicijs compertum, fallacia quædam nocturnorum ignium ludibria, exilire in ſcintillas, emicare in radios, effulgere in faces, hominum oculos ambire fulgore: at cum explorator naturæ Phæbus, cœlorum theatrum occupauerit, continuò nitorem perdere: ita euenit, vt qui inter domeſticas tenebras, lucis gloriam fundere videbantur; & ſibi facti theatrum, ſibi Populus, ſibi ſpectatores, laudum ſcenam agebant: hi in lucem publicam educti, vmbris quoq; vincendis, non ſufficiant. Lux Publica, Publicum Iudicium; explorator veri, recti index. Illa laus magnis annumeranda, in quam glorioſa multorum concordia coaleſcit: illa ab omni uitij conſortio cenſenda aliena, quæ omnium cenſurâ approbatur. Quàm ingens igitur, quàm clarum, quàm auguſtum tædarum veſtrarum Nuptialium effulſit ſidus, cuius radij cum ſole ſimul, per regni gaudia diſperſi, tanto penè ſplendore perſtrinxerunt animos; quanto ſol oculos. Agite *Sponſi Glorioſiſſimi*, intuemini in hac veſtra luce, excitatos ſpei maximæ triumphos,

in

ingentem Illuſtriſſimarum Familiarum lætitiam, gratam vniuerſæ Reipublicæ approbationem. Multum Patriæ intereſt,an filij Heroum, pares ſuo generi, dignitati, virtuti, quærant amicitias, & mutuæ amicorum coniunctioni, vinculis veluti firmiſſimis, communia innectant commoda. A prioribus ſæculis, ſequentia robur ſumunt; talia ſucceſſura, qualia inſtituerimus. Succedunt, non homines tantum hominibus, verùm etiam temporibus tempora; opulenta,robuſta, glorioſa, prout tulerit hæreditas. Vnum numen vtriq; præſidet tempori, vnumq; præſideat neceſſe,ſi dignitatem, fortunam, gloriam poſterorum, ſimilem maioribus volumus. Tales ſuccedant poſteri, quales præceſſêre Parentes: atq; adeò talibus naſcantur parentibus, qualibus ipſi editi. Panditur verò hîc ingens ſpei publicæ theatrum, & auguſtum gloriæ *Donhoffianæ* ac *Oſſolinianæ* atrium,quod qui mentis intuitu complexus fuerit; in longa maximorum Heroum ſerie, Romanum illum Gallis ac Pyrrho admirandum ſenatum, mirari tantopere deſinet. Spectaculum antiquiſſimarum ætatum exhibet; virtutem omnium. Quotquot in proſpectu occurrunt, omnes generis nobilitate, omnes facinorum gloriâ, Illluſtriſſimi. Quemadmodum Nilum nauigantes,ſemper per fluuios prouehuntur, ad fontes humanæ induſtriæ de-

deſatigandæ abditos, difficile perueniunt: pari ratione magnorum Heroum, atq; adeo *Donhoffiano* ac *Oſſoliniano* ſanguine prouectis; immenſum latè profuſæ originis æquor emetiendum, vt ad fontes enauigent. Oſtentat autem perennis dignitatis cuſtos gloria, *Franconiam*, gentem, virtutis bellicæ, ac libertatis famâ, ſæculis omnibus laudatiſſimam: in eaq; auguſtæ antiquitatis glorioſa veſtigia, Palatium *Donhoff ad Moſam fluuium*, à Familia vetuſtiſſima appellatum. Iam Donhoffianis Liuonia effulſerat radijs; iam in Prouinciam Regis Regum, eorum ope ceſſerat; cum Moſana ditio, ijſdem gauderet hæredibus, quibus Liuonia tutelaribus. Ceſſit tandem, locorum auulſa diſtantiâ, alterius gentilis imperio; Donhoffiano, conſtanter ad gloriam, retento nomine. Poſteaquam verò *Sigiſmundo Auguſto* Polonis imperante, libertati ſeſe adiuxêre Polonæ, Tanta merita, tantam in Regno depoſuêre gloriam; vt iniuriæ rea, à Republica fortuna accuſanda videretur: ſi tantos Heroës extra Poloniam morata fuiſſet. Quantum enim omnis æui Læchici decus aſſurrexit, formidandus hoſtibus patriæ, *Ottho Donhoff*, cui Mars plurimis geſtis bellis, non fracto aut feſſo; at emerito Heroi, Senatoriam Palatinatus Parnauienſis ſubſtrauit purpuram: vt ad publica bona natus, publicis commodis innutritus.

tus, publicorum conſiliorum, ſalutaribus im-molaretur præſidijs. Succeſſit Herculi Theſeus, *Theodorus Donhoff* Palatinus Vendenſis, cuius egregia in Rempublicam, merita, ſatis abundè fratrem Othonis ſunt teſtata: non à natura magis ad Familiæ gloriam, quàm ab eadem pariter ac virtute, ad patriæ ſalutem, Fratri ſimillimo Marte inſtructum. Veſtrum iam Muſæ, veſtrum caſtra, *Erneſtum Donhofſium* appello. Audiuêre hunc, Principes Legatum, & ſapientiam ſunt mirati: vidêre Turcæ Tribunum militum, & robur expauerunt: Spectauêre Sueci inter fædera Polonica ac Sueтica, Palatinatus Parnauienſis honore inſignem, & cedere coacti ſententiâ, cuius ſæpius armis, ceſſerant, profligati. Non ſinit, virtus ſuperſtes, Te immaturè ereptum queri, *Hermane Donhoff*, turmarum militarium, ſub auſpicijs fortunatiſſimi. Ducis Zolkiewij, Ductor nobiliſſime. Verum tamen, ſola recordationis præſentia, noſtra ſolatia non explet. Vtinam non tuorum menſurâ meritorum, verum publicorum deſideriorum votis, vita tua definita fuiſſet: Suſtulit te clades illa Regni, ad Ceceră, Regni inquam, & totius Reipublicæ grauiſſima clades; tanquam priuata eſſe non potuiſſet, in qua Tu occubuiſti. Proſpiciebat à longè, Reſpublica emolumenta, cum ætate Tua in ſe deriuanda, cùm prius miles, & Ductor cohor-
ti-

tiũ, quã vir; glorioſiſſimo Imperatoris Tui encomio, *Verus Martis Pullus* audires. Hæc qui cogitat, qui intuetur, nonne ad confeſſioně glorioſiſſimã adigitur, magnâ cũ æqualitatis laude, inſignia Gentilitia *Alexandri* II. Pontificis maximi, ex Familia Mediolanenſi *Pedaciana*, Familiæ *Grandochicorum* & *Treuarteniorum* in Britania, Familiæ *Grenſingiorum* in Miſnia, Donhoffianæ domui illata? Neq; verò inter hæc decora recenſenda, numero, ſed delectu ſum vſus. Nam illud quoq; præterij, Regio ſanguine domum hanc ditari, ab Illuſtriſſima Illuſtriſſimi *Gerardi Donhoff* Palatini Pomeraniæ conſorte, Piaſtide, Ducis Brigenſium Filia, Ioachimi Electoris Brandeburgici nepte, deriuato. Quod ſi Illuſtriſſimæ Familiæ *Oſſolinianæ* origo & claritas ſtylo committeretur, integra Annalium comprehenderentur volumina, cùm Bielſcio teſte, inſigne Aſciæ, vulgo *Starza*, à vetuſtate dictum; ante Craci Imperium Polonos Heroés exornarit: atq; adeò Palatinis faſcibus, diuiſa, in duodecim Palatinos Regni adminiſtratione, inſertum fuerit. Sæpe verò fortuna in mortalium ſinus liberaliſſimè exundans, curſum proſperitatis in medio abrumpit: *Donhoffiana* ac *Oſſoliniana* felicitas, cùm ampliſſimos laudum campos innundaſſet; non aruit inopia, ſed copia, aucta. Multis eadem, in Ortu ſol, meridie

die luna, veſpere ſtella, in tenebris ſcintilla: *Donhoffianum, Oſſolinianumq;* lumen, diem conſtanter facit, & retinet. O auguſta tot ætatum animo objectarum ſpectacula! o cuſtodes veritatis ſacra antiquitatis monumenta! quæ ſi ab animis ad oculorum ſolatia transferre volumus, in pulcherrimis Illuſtriſſimorum, & Excellentiſſimorum *Gaſparis Donhoff* Palatini Siradienſis, & *Georgij Ducis de Oſſolin* Regni Cancellarij trophæis, clarè ſpectanda exhibentur. Gloriatur meritò Polonia, de robuſtiſſimis poli ſui Atlantibus, quorum humeris innixa, VLADISLAO IV. Regum Inuictiſſimo, fortunatos imperij orbes verſante; inter trepidantia Europæ fulcra, inconcuſſa perſtat: at *Donhoffianis Oſſolinianiſq;* conſilijs, pars cæli effulta; firmiſſimis, ſecundum cæterorum Heroum infractum robur, incumbit viribus. Magnum Romanæ gloriæ acceſſurum pondus exiſtimauit Liuius, ſi ſuæ gentis Duces, quos fortuna bellis Alexandri Macedonis ſubduxerat, in Hiſtoria opponeret: victoriam armorum omiſſam, ſtylo quæſiturus. Beatiorem te Lechia: non Tu in ceris oſtentas, at fælicitatis conſtanti vſu diſcis, pares omnium ætatum, ac gentium honori, apud te non deficere Heroas. Inter hos o poſteri, cùm Illuſtriſſimos & Excellentiſſimos *Gaſparum Donhoff* & *Georgium Ducem in Oſſolin* ſuſpexeritis; illos viros,

illa ſenatus lumina cogitate, quæ patria noſtra ac veſtra maximè optare poſſitis. Nam Illuſtriſſimus *Gaſpar à Donhoff*, ea palatinatum Siradienſem circumfundit gloriâ; vt purpuræ plus luminis tribuat, quàm acceperit coloris. Vbi annos eius numerare cæperitis, ibi inchoabitis merita. A glorioſiſſima adoleſcentiæ commendatione, *Sigiſmundi* III. Regis Poloniarum beneuolentiam meritu; eam in ætatem ſuam uertit: vt meritorum adoleſceret incrementis. Sagum, cum Republica ſimul depoſuit, Moſchouiticis ac Sueticis laureis glorioſus. *Vladislao* demum IV. ijſdem quibus *Sigiſmundo*. Regi ſtudijs gratiſſimus; hæreditate, paternam in ſimillimo Filio occupauit gratiam. Dignitatem cum humanite ita conjunxit: vt veneratio amorem, amor venerationem exigat. Prudentiam, opes, potentiam, cum ſalute Patriæ, ita copulauit: vt nihil niſi ex commodo publicæ ſalutis agat. At Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus *Georgius* Dux in Oſſolin, fidem publicam, cum officio Cancellarij Regni ſibi commiſſam, tantis tuetur ſtudijs: vt omnis poſteritatis fidem, ad immortalitatem nominis ſui conſeruandam, obliget. In hoc Heroë *Vladislai* IV. Regis Poloniarum electi, ad *Vrbanum* VIII. Pontificem maximum legato, cum Poloniam Roma ſuſpiceret; ſuos triumphos redditos mirata: cum loquenté au-

audiret, tranſlato in Sarmatiam Latio, gemi-tus parabat: donec caput ſe orbis clarius agnouit, cum tam longinquas nationes, ſuo ore perorantes audiret. Laudibus deinde populorum externorum, & noſtris deſiderijs in Patriam reuectus; fortunâ per virtutem partâ fruitur, gaudetq; bene meritorum fructu; par maximis quos geſſit; & quos ſumma dignitas virtutis, meretur, honoribus. Virtutem in gradum honorum primùm ſubiectam, adeò fortunatâ conſtantiâ in culmen erigit: vt apices quoq; dignitatũ, in gradus maiorum meritorũ ſubſternat. Concedamne verò, eam flagitanti animo libertatem, vt per reliqua Herois vtriuſq; merita progreſſus, digniſſimæ, deſiderij laudum indulgeat voluptati? atq; vt per alios quoq; diuiſa Heroës, Illuſtriſſimarum Familiarum decora, exultanti oratione proſequatur? Compendio viribus ſuccurrendum. Sufficit ad venerationis obſequium aliquos fructus gloriæ delibaſſe; ſufficit ad veſtram Glorioſiſſimi Heroës famam magna *Donhoffiorum* & *Oſſoliniorum* nomina, hoc eſt ingentes fidei in Patriam, Sapientiæ, fortitudinis, titulos memoraſſe. Non eſt parum loqui, vos appellare. Admitteris igitur venerabundum ſilentij cultum, Illuſtriſſimi *Chriſtophore Oſſolinski* Sendomirienſis, & *Gerarde à Donhoff* Pomeraniæ Palatini. A maiorum veſtrorum mentione
ad

ad vos deueni, hærere autem in veſtri intuitu non poſſum, quin in eorum memóriam relabar. Hoc veſtro vultu, Mars Donhoffianus æquè Oſſolinianus hoſtes olim terruit. Hac veſtra fronte, ſalutares Patriæ Catones, ſanctitatem vetuſtioris ætatis ſinceram ac candidam prætulerunt: his fortibus dextris, Alexandri ſuorum temporum, & Iulij, iura Diuina, libertatem, Patriam ſunt tutati. Age animo, lætitiam hanc, glorioſiſſimarum Nuptiarum, magno impetu publica gaudia inundantem, alacrior proſequere, vota pande, precare fortunam, præconia per diuiſas materiæ felicis partes, cum apprecatione ſparge.

ÆDES NVPTIALES

Sacrarium Hymenæi, gratiarum delicium, Muſarum pratum, Amænitatum hortus; hilares & fauſtos hoſpites, ſponſos, Heros meos, inuito porta. Pandite ampliorē ſinum auguſti poſtes. Magno ſe vobis fortuna infert comitatu. Gaudia prima, ampliſſima. Tollē ſertum Hymen, roſas gratiæ, Muſæ lyras. Æternus eſt coniugalis amor, floridus, cantu gaudet. Athenienſium quoq; genium, non reprobo. Laurum vertici ſacro præfigite. Laurus bona vates. Laurus ædium ſalus. Ingreſſuris

ſo-

ſoſpitem egreſſum, egreſſis incolumem reditum dicam. Merui laurum, in triumpho animorum, Lanâ quoq; ex Romanis inſtitutis, caput exornate, Sacrum, modeſtum, nulli infeſtum. Nec hæderæ alienæ, tam glorioſè, exornant frontem: quàm lana propria. Numen laneos pedes habet, ego caput. Hoc nempe Numen attigit, cum veniret; vt ſponſis adeſſet, præſentibus. Stabo ædes, Deo auſpice fortunata. Vos ſponſi, eodem præſente ac tutante, me perennes incolite.

O Hymen beatioris,
Sæculi parens beate
Fac ſit ædes hæc beata,
Sed ſit ædes vt beata,
Fac agas quod te monebo.
Candidis fortuna ſponſos
Vecta bigis, viſit Hoſpes,
Mente, vultu, voce, plauſu,
Nuptiale læta feſtum
Approbat, plaudit, precatur.
Hoſpitem noſti fugacem,
Et fugæ currus paratos,
Sparge tædas, vre currus,
Tam ſuperba nollet hoſpes,
Ædibus pedes abire.

Seu marmor, ſeu truncus iaceam, nulli cedo. Nihil me apud eos ſanctius; quibus leges amicitiæ, ſanctæ ſunt. Ante me iura panguntur, quæ Numen dicit, leges ſtatuuntur, quas cœlum ſcribit. Intra me, meta ſocietatis humanæ fixa, non tranſilienda. Semper venerabile, ſemper ſacrum, hodie *Donhoffianas Oſſolinianasq;* plantas ſubmiſſum excipio; vt altam venerer dignitatem. Præſtat nunc calcari, quàm olim coli, nec tangi. Cum amicorum manibus raptam ante limen ſponſam, inferri meis ædibus, apud Romanos obſeruarem; fœlicitatem meam vidi, non ſenſi. Imprimuntur veſtigijs, quæ illiminabantur tranſultu decora. Gyrum quoq; ex more intra limen faciendum; pro ſponſa fortuna peregit. Cum circumuoluta ædes circumſpiceret, de ſecuritate prouidit: cum ſubſiſteret, conſtantiam gradu certo firmauit. Spargite pro caricis & palmarum fructibus, vota amici. Fæcundius, glorioſiuſq; pullulabunt. Dediſcat mores antiquos fortuna, & tot ſæculorum magiſtra, ſtudia vetera ad hoc limen deponat; vt maiori induſtriâ, ſponſis faueat.

Intrate amici o Hoſpites!

Intrate amica o Pectora!
At vos procul de limine,
Mæror timorq; cedite.
Hîc excubat virtus vigil,
Hîc temporum perennitas:
Hîc limes eſt, & fœderum,
Hîc limes eſt & gaudij.
Abeſto quiſquis perfido,
Limen ſacrum tangis pede,
Offendit hoſtiles vias,
Et improbos trudit gradus.

ANNVLI NVPTIALES

Annulus corona cordis eſt. Ferreus ſit, aut aureus, corona cordis eſt. Vbi amiſitia ibi victoria, vbi victoria, ibi triumphus & corona. Reges Plauto ſponſi. Cor Regni ſedes, amor ſceptrum, ſatellitium beneuolentia, animus ditio. Annulus in ſe conuertitur, amicitia vera nuſquam inuenit terminum. Amicus non eſt, qui inimicus eſſe poteſt. Anchoram Seleucianam nuptiali annulo inſculpite; anchoram cogitationum ſponſi figite. Hic portus & ſtatio perennis. Pignus tranquillitatis, annulum tenetis. Nec manus tota annulo coronatur, ſed digitus; quod plùs, amicitia cōferat ornamenti, quàm laboris. Ferreo olim ſæculo,

culo, adeo pretioſa amicitia non viſa, ideoq; annulo ferreo donabatur; niſi quod ſanctam integramq; ſponderent, ferro muniebant: ferro tantum & fato extremo, diuidendi amici. Prodigalitas hic timenda non erat, ſi ſummo auri pretio, ſummum amicitiæ pretium, deſignaretur. Ferrum neglectum, rude eſt; excultum fulget: amicitiæ ſtudia intermiſſa, rubiginem beneuolentiæ inducunt. Gemmâ quoq;, annulus diu caruit. Sponſa gemma iudicabatur, & gemmis omnibus carior, vitæ Societas. Benè tamen ætas ſequens, auro ferrum mutauit, vt pretium amicitiæ faceret: & gemmam annulo inſeruit; vt auro, poſſe addi maius pretium; amicitiæ non poſſe, indicaret. Vos *Digniſsimi ſponſi* annulos aureos ſumite, aureos dies, aurea ſolatia, auream vitam cum annulis aſſumpturi.

Sortes polus futuri
Cum temporis notaret:
Sponſiq; fata clara,
Sponſæq; vellet orbi:
Mox gemmeo nitore,
Et aureo nitore,
Fulſêre glorioſè
Sculpta annulis decora:
Donhoffiana imago,
Sponſæq; iuncta imago,

Qui

Quis clarior ſit auro,
Quis annulus ſit igne,
Suffragijs petitum?
Tum Iuppiter Tribunal
Iubet ſilere Diuûm:
Par inquiens vtrinq;
Splendor micat decuſq;,
Eſt ſponſa Gemma, & Aurum
Sponſuſq; Gemma, & Aurum.

MENSA NVPTIALIS

Ioci, lepores, ſales, primum locum capiunto. Frons Serena, cœlum ſerenum. Nuptiale feſtum, feſtiuiſſimum. Sacra, mæror ne turbes. Odit amænitatis lucem, qui vultum induit tenebris. Lætiſſimi conuiuæ, gratiſſimi. In amicorum comitijs, ſuffragium, læſus animus non habet. Creſcant fortunata ſponſorum gaudia, mutuis gaudijs amicorum: vt tantùm ſoli gaudeant, quantùm gaudent vniuerſi. Vt læſos, ita lætos oculos, dum ſpectant oculi; læduntur, aut lætantur ipſi. Menſæ, amicos ac inimicos parant. Nuptialis menſa, tota ſit amica. Lyra conſonans, amici concordes. Ne rumpe chordam, ne violes lætitiam. Commodius tamen huic menſæ aſſideat, conuiua Ægyptius, quàm Sybarita. Hilaritatem ſuadeo, non

non voluptatem. Polonis, nuptiales menſæ dederunt prouerbium. Mors quoq; nubit.

Mortem nubere dicitis Poloni,
Sed quæ ſit mala pompa nuptiarum,
Et cui nubere debeat, ſiletis?
Illi turpe genus, ſceluſq; mater,
Nuſquam ditio, nulla certa ſedes:
An vlli placet iſta ſponſa ſponſo?
Eheu, ſæua, ferox, ſceleſta ſponſa!
Inſultat miſeris grauis maritis,
Morbus pronubus, atq; mille caſus
Planctus pro cythara eſt, domus ſepulchrũ;
Si mortis ratio iſta nuptiarum
Quàm felix ratio illa nuptiarum?
Quando gaudia mille, mille riſus,
Quando pectora mille, mill amici,
Circumdant ſacra feſta nuptiarum,
Et cum lætitiæ, iociq; grati,
Cum plauſus Cytharæ, ac amænitatum
Stipant DONHOFFI; latus cohortes,
Vitam hîc nubere dicite o Poloni.

DAPES NVPTIALES

Dulciſſimum dapum obſonium, beneuolentia. Quidquid offeratur deſipit, ſi non ſa-

die luna, veſpere ſtella, in tenebris ſcintilla; *Donhoffianum, Oſſolinianumq́;* lumen, diem conſtanter facit, & retinet. O auguſta tot ætatum animo objectarum ſpectacula! o cuſtodes veritatis ſacra antiquitatis monumenta! quæ ſi ab animis ad oculorum ſolatia transferre volumus, in pulcherrimis Illuſtriſſimorum, & Excellentiſſimorum *Gaſparis Donhoff* Palatini Siradienſis,& *Georgij Ducis de Oſſolin* Regni Cancellarij trophæis,clarè ſpectanda exhibentur. Gloriatur meritò Polonia,de robuſtiſſimis poli ſui Atlantibus, quorum humeris innixa, VLADISLAO IV. Regum Inuictiſſimo, fortunatos imperij orbes verſante; inter trepidantia Europæ fulcra, inconcuſſa perſtat: at *Donhoffianis Oſſolinianiſq́;* conſilijs, pars cæli effulta; firmiſſimis, ſecundum cæterorum Heroum infractum robur,incumbit viribus. Magnum Romanæ gloriæ acceſſurum pondus exiſtimauit Liuius, ſi ſuæ gentis Duces, quos fortuna bellis Alexandri Macedonis ſubduxerat, in Hiſtoria opponeret: victoriam armorum omiſſam, ſtylo quæſiturus. Beatiorem te Lechia: non Tu in ceris oſtentas, at fælicitatis conſtanti vſu diſcis, pares omnium ætatum, ac gentium honori, apud te non deficere Heroas. Inter hos o poſteri, cùm Illuſtriſſimos & Excellentiſſimos *Gaſparum Donhoff* & *Georgium Ducem in Oſſolin* ſuſpexeritis; illos viros,

il-

illa ſenatus lumina cogitate, quæ patria noſtra ac veſtra maximè optare poſſitis. Nam Illuſtriſſimus *Gaſpar à Donhoff*, ea palatinatum Siradienſem circumfundit gloriâ; vt purpuræ plus luminis tribuat, quàm acceperit coloris. Vbi annos eius numerare cæperitis, ibi inchoabitis merita. A glorioſiſſima adoleſcentiæ commendatione, *Sigiſmundi* III. Regis Poloniarum beneuolentiam meritus; eam in ætatem ſuam uertit: vt meritorum adoleſceret incrementis. Sagum, cum Republica ſimul depoſuit, Moſchouiticis ac Sueticis laureis glorioſus. *Vladislao* demum IV ijſdem quibus *Sigiſmundo*. Regi ſtudijs gratiſſimus; hæreditate, paternam in ſimillimo Filio occupauit gratiam. Dignitatem cum humanite ita coniunxit: vt veneratio amorem, amor venerationem exigat. Prudentiam, opes, potentiam, cum ſalute Patriæ, ita copulauit: vt nihil niſi ex commodo publicæ ſalutis agat. At Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus *Georgius* Dux in Oſſolin, fidem publicam, cum officio Cancellarij Regni ſibi commiſſam, tantis tuetur ſtudijs: vt omnis poſteritatis fidem, ad immortalitatem nominis ſui conſeruandam, obliget. In hoc Heroë *Vladislai* IV. Regis Poloniarum electi, ad *Vrbanum* VIII. Pontificem maximum legato, cum Poloniam Roma ſuſpiceret; ſuos triumphos redditos mirata: cum loquentẽ

audiret, tranſlato in Sarmatiam Latio, gemi-tus parabat; donec caput ſe orbis clarius agnouit, cum tam longinquas nationes, ſuo ore perorantes audiret. Laudibus deinde populorum externorum, & noſtris deſiderijs in Patriam reuectus; fortunâ per virtutem partâ fruitur, gaudetq́; bene meritorum fructu; par maximis quos geſſit; & quos ſumma dignitas virtutis, meretur, honoribus. Virtutem in gradum honorum primùm ſubiectam, adeò fortunatâ conſtantiâ in culmen erigit: vt apices quoq́; dignitatũ, in gradus maiorum meritorũ ſubſternat. Concedamne verò, eam flagitanti animo libertatem, vt per reliqua Herois vtriuſq́; merita progreſſus, digniſſimæ, deſiderij laudum indulgeat voluptati? atq́; vt per alios quoq́; diuiſa Heroës, Illuſtriſſimarum Familiarum decora, exultanti oratione proſequatur? Compendio viribus ſuccurrendum. Sufficit ad venerationis obſequium aliquos fructus gloriæ delibaſſe; ſufficit ad veſtram Glorioſiſſimi Heroës famam magna *Donhoffiorum* & *Oſſoliniorum* nomina, hoc eſt ingentes fidei in Patriam, Sapientiæ, fortitudinis, titulos memoraſſe. Non eſt parum loqui, vos appellare. Admitteris igitur venerabundum ſilentij cultum, Illuſtriſſimi *Chriſtophore Oſſolinski* Sendomirienſis, & *Gerarde à Donhoff* Pomeraniæ Palatini. A maiorum veſtrorum mentione

ad

ad vos deueni, hærere autem in veſtri intuitu non poſſum, quin in eorum memoriam relabar. Hoc veſtro vultu, Mars Donhoffianus æquè Offolinianus hoſtes olim terruit. Hac veſtra fronte, ſalutares Patriæ Catones, ſanctitatem vetuſtioris ætatis ſinceram ac candidam prætulerunt: his fortibus dexteris, Alexandri ſuorum temporum, & Iulij, iura Diuina, libertatem, Patriam ſunt tutati. Age animé, lætitiam hanc, glorioſiſſimarum Nuptiarum, magno impetu publica gaudia inundantem, alacrior proſequere, vota pande, precare fortunam, præconia per diuiſas materiæ felicis partes, cum apprecatione ſparge.

ÆDES NVPTIALES

Sacrarium Hymenæi, gratiarum delicium, Muſarum pratum, Amænitatum hortus; hilares & fauſtos hoſpites, ſponſos, Heros meos, inuito porta. Pandite ampliorē ſinum auguſti poſtes. Magno ſe vobis fortuna infert comitatu. Gaudia prima, ampliſſima. Tollē ſertum Hymen, roſas gratiæ, Muſæ lyras. Æternus eſt coniugalis amor, floridus, cantu gaudet. Athenienſium quoq; genium, non reprobo. Laurum vertici ſacro præfigite. Laurus bona vates. Laurus ædium ſalus. Ingreſſuris ſo-

ſoſpitem egreſſum, egreſſis incolumem reditum dicam. Merui laurum, in triumpho animorum, Lanâ quoq; ex Romanis inſtitutis, caput exornate, Sacrum, modeſtum, nulli infeſtum. Nec hæderæ alienæ, tam glorioſè, exornant frontem: quàm lana propria. Numen laneos pedes habet, ego caput. Hoc nempe Numen attigit, cum veniret; vt ſponſis adeſſet, præſentibus. Stabo ædes, Deo auſpice fortunata. Vos ſponſi, eodem præſente ac tutante, me perennes incolite.

O Hymen beatioris,
Sæculi parens beate
Fac ſit ædes hæc beata,
Sed ſit ædes vt beata,
Fac agas quod te monebo.
Candidis fortuna ſponſos
Vecta bigis, viſit Hoſpes,
Mente, vultu, voce, plauſu,
Nuptiale læta feſtum
Approbat, plaudit, precatur.
Hoſpitem noſti fugacem,
Et fugæ currus paratos,
Sparge tædas, vre cur rus,
Tam ſuperba nollet hoſpes,
Ædibus pedes abire.

Seu marmor, ſeu truncus iaceam, nulli cedo. Nihil me apud eos ſanctius; quibus leges amicitiæ, ſanctæ ſunt. Ante me iura panguntur, quæ Numen dicit, leges ſtatuuntur, quas cœlum ſcribit. Intra me, meta ſocietatis humanæ fixa, non tranſilienda. Semper venerabile, ſemper ſacrum, hodie *Donhoffianas Oſſolinianasq;* plantas ſubmiſſum excipio; vt altam venerer dignitatem. Præſtat nunc calcari, quàm olim coli, nec tangi. Cum amicorum manibus raptam ante limen ſponſam, inferri meis ædibus, apud Romanos obſeruarem; fælicitatem meam vidi, non ſenſi. Imprimuntur veſtigijs, quæ illiminabantur tranſultu decora. Gyrum quoq; ex more intra limen faciendum; pro ſponſa fortuna peregit. Cum circumuoluta ædes circumſpiceret, de ſecuritate prouidit: cum ſubſiſteret, conſtantiam gradu certo firmauit. Spargite pro caricis & palmarum fructibus, vota amici. Fæcundius, glorioſiusq; pullulabunt. Dediſcat mores antiquos fortuna, & tot ſæculorum magiſtra, ſtudia vetera ad hoc limen deponat; vt maiori induſtriâ, ſponſis faueat.

Intrate amici o Hoſpites!

In-

Intrate amica o Pectora!
At vos procul de limine,
Mæror timorq; cedite.
Hîc excubat virtus vigil,
Hîc temporum perennitas:
Hîc limes eſt, & fœderum,
Hîc limes eſt & gaudij.
Abeſto quiſquis perfido,
Limen ſacrum tangis pede,
Offendit hoſtiles vias,
Et improbos trudit gradus.

ANNVLI NVPTIALES

Annulus corona cordis eſt. Ferreus ſit, aut aureus, corona cordis eſt. Vbi amiſijtia ibi victoria, vbi victoria, ibi triumphus & corona. Reges Plauto ſponſi. Cor Regni ſedes, amor ſceptrum, ſatellitium beneuolentia, animus ditio. Annulus in ſe conuertitur, amicitia vera nuſquam inuenit terminum. Amicus non eſt, qui inimicus eſſe poteſt. Anchoram Seleucianam nuptiali annulo inſculpire; anchoram cogitationum ſponſi figite. Hic portus & ſtatio perennis. Pignus tranquillitatis, annulum tenetis. Nec manus tota annulo coronatur, ſed digitus; quod plùs, amicitia cõferat ornamenti, quàm laboris. Ferreo olim ſæculo,

culo, adeo pretioſa amicitia non viſa, ideòq; annulo ferreo donabatur; niſi quod ſanctam integramq́; ſponderent, ferro muniebant: ferro tantum & fato extremo, diuidendi amici. Prodigalitas hic timenda non erat, ſi ſummo auri pretio, ſummum amicitiæ pretium, deſignaretur. Ferrum neglectum, rude eſt; excultum fulget: amicitiæ ſtudia intermiſſa, rubiginem beneuolentiæ inducunt. Gemmâ quoq́;, annulus diu caruit. Sponſa gemma iudicabatur, & gemmis omnibus carior, vitæ Societas. Benè tamen ætas ſequens, auro ferrum mutauit, vt pretium amicitiæ faceret: & gemmam annulo inſeruit; vt auro, poſſe addi maius pretium; amicitiæ non poſſe, indicaret. Vos *Digniſſimi ſponſi* annulos aureos ſumite, aureos dies, aurea ſolatia, auream vitam cum annulis aſſumpturi.

Sortes polus futuri
Cum temporis notaret:
Sponſiq́, fata clara,
Sponſæq́; vellet orbi:
Mox gemmeo nitore,
Et aureo nitore,
Fulsêre glorioſè
Sculpta annulis decora:
Donhoffiana imago,
Sponſæq́; iuncta imago,

Qui-

non voluptatem. Polonis, nuptiales menſæ dederunt prouerbium. Mors quoq; nubit.

Mortem nubere dicitis Poloni,
Sed quæ ſit mala pompa nuptiarum,
Et cui nubere debeat, ſiletis?
Illi turpe genus, ſceluſq; mater,
Nuſquam ditio, nulla certa ſedes:
An vlli placet iſta ſponſa ſponſo?
Eheu, ſæua, ferox, ſceleſta ſponſa!
Inſultat miſeris grauis maritis,
Morbus pronubus, atq; mille caſus
Planctus pro cythara eſt,domus ſepulchrũ:
Si mortis ratio iſta nuptiarum
Quàm felix ratio illa nuptiarum?
Quando gaudia mille, mille riſus,
Quando pectora mille, mill amici,
Circumdant ſacra feſta nuptiarum,
Et cum lætitiæ, iociq; grati,
Cum plauſus Cytharæ, ac amænitatum
Stipant DONHOFFI; latus cohortes,
Vitam hîc nubere dicite o Poloni.

DAPES NVPTIALES

Dulciſſimum dapum obſonium, beneuolentia. Quidquid offeratur deſipit, ſi non ſa-

pit largitor. Oculos paſcunt non famem; cibi pretioſi, & ſeueritate Domini muniti. Offerte Romani piperata ſponſis obſonia. Nihil amarũ,in tã dulci amicitiæ cõſortio.Sumite etiam de ſpinis vuas. Non quæuis ſpinæ, manum ſauciant. Et vt vulnerent, humana fata, humana ſocietate tolerabiliora exiſtunt. Non terrent ſpinæ, cum placent vuæ. Patimur, ut votis potiamur; etiam cum potimur, patimur: aliud tamen graue non eſt, cum aliud gratum. An & Perſæ, malum huic conuiuio apponunt? Sumite *Felices ſponſi.* Multos Zopyros accipitis, & tot, quot malum Punicum, grana claudit. Fata quoq; veſtra agnoſcite. Pueritiam, fortuna cum pomo, quo ludere conſueuerat, ante vos deponit: virili deinceps conſtantiâ deſeruitura. An & vobis fortuna luſus, fata iocus, vita dulce epulum? Alio cibo quàm malo, nuptiarum die, ſponſis veſci non licuit,nec alijs quàm ſuauibus fortunatorum ſucceſſuum obſonijs. Viuite *Fortunati ſponſi.* Homines immortales eſſe non poſſumus, immortales vos tamen optamus, vt uotis affectus menſuremus.

Non parcâ o Superi manu
Vitæ munera ſpargitis,
Nec parcè data munera

Ve-

Veſtri impendimus æmuli.
Nam plenos cyathos damus
Vitæ; munifici mero.
Si vitâ fruimur, bene eſt:
Si vitam bibimus, bene eſt:
At cœleſtia pignora,
Mortales fugiunt opes.
Quod das, ſi ſuperis placet,
Cum largâ eripient manu.
Seras tollite iam dapes,
Et dum pocula ſumitis,
Implorate polum prece,
Longos atq; hilares dies,
Fiet ita, vt ſponſis, vitam Deus ipſe propinet.

SACRA NVPTIALIA

Adeſte cœlites, fauete, aſpirate, ſanctis, æquis perennibus fœderibus. Si nunquam plauſiſſet coelum, in tanta virtutum plauderet harmonia. En æmula ſponſorum pietas! Religio, cultus ſuperum; ante Deum conſtitit; vt diuinæ authoritatis vinculo necteretur. Diſſidet quod impar eſt,rapit autem ſimilitudo morum affectus. Diſtinguũtur & ſidera inuicem, peneq; propinquiora, quæ ſimiliora, Facilè noſtros mores, probamus in alijs. Magna hæc magnorum ſponſorum gloria, virtutis nexu, ami-

amicitiam roborari. Fortunatæ Nuptiæ, quarum, virtus Pronuba, ſponſor, Teſtis, Author autem perennatorq; DEvs. Boetijs nulla coniugia firma, niſi prius ante aras à ſponſis libaretur. *Hic ara, vbi Deus: hic Deus, vbi Dei vicaria authoritas.* Iam nunc Romani ignem & aquam ante ſponſos ponite. Nec incendia terrebunt, nec naufragia diuident coniunctos animos. Ignis ardet, nec deficit; nuptiales tedæ, ſpei poſteritatis prælucent, eâdem luce, eadem claritate olim ſuſpiciendæ. Current prodiga laudum encomia, & naſcentes gloriæ fontes, mare fient. Vt credatis euenturum, ignis & aqua res naturâ diuerſiſſimæ, in ſponſorum laude, concordarunt.

Et quis non ſoliitis percita cantibus,
Demulcet placido carmine pectora?
Nubite læti,
Nubite ſponſi:
Maxima claræ
Gaudia gentis:
Inclyta Diui
Gloria Regni:
Vos polus ornat,
Vos amat orbis.
Magna canit, maiora cupit, vincitq; canendi
Materiæ cantum, votis quoq; vota fatigat.

Vi-

Viuite læti
Viuite ſponſi,
Viuite Cœlo,
Sidera cœli;
Viuite terris
Sidera terræ;
Vos polus ornet,
Vos amet orbis
Hoc virtutis honos, hæc magnæ gloria laudis,
Hoc pietas virtuſq; uouet, uouet atq; meretur.

Satis diu, deliberato gaudiorum errori inſtiti. Supereſt vt uota colligam; & quantum optemus vniuerſi, ſimul declarem optando. Auſpicatiſſima lætitiæ publicæ recenſui argumenta, ea tamen ſpei propinquiora, quæ in Te ipſo *Glorioſiſsime ſponſe* intuemur. Aurea frontis auguſtæ hilaritas, conſtantiæ maieſtas, glorioſi magnarum mentium excubitores, procul humilium cogitationum turbam à ſacra mente tua arcent: & quantus, quàm illuſtris, quàm diuinus animus, ſacrum pectus inhabitet, indicant. Ex vultu virum. In ſereno faciei, tranquillitas explicatur, intra oculorum coruſca lumina, fortunatus exultat animus; in gemmea oris amænitate, vigor animi effloreſcit. Sic & lilia micant, ſic & roſæ candent, vt vis interni humoris, lineis aureis atq; argen

grina. Conſtitue in animo tuo vniuerſam Poloniam, Lituaniam, Liuoniam, Vniuerſa Europæ regna, & quoniam his, capaciſſima mens tua, non expletur, ſeptemtrionem, Aſiam, orbem deniq; circumſpice, num quæ pars mundi, gloriâ Illuſtriſſimarum Familiarum, Tuæ affinitati innexarum vacet? Nullus locus tam inuius, nulla Alpium iuga tam excelſa, quæ Aquila *Radíuiliana* famæ volatu non ſuperet. Quanta aëris capacitas, tantum aquilæ volantis ſpatium. Volat ijſdem vicinum ſideribus *Leſczyniorum* nomen ingens, ſublime, admirandum. Alis non eget, meritis attollitur. Quid *Opaliniam* memorem nauim? altera, ſed non fabuloſa Argo, ab ipſis Reipublicæ incunabulis, ſemper fortiſſimis Patriæq; fidiſſimis, non interruptâ ſerie, plena Heroibus. Iam verò vaſtus ille Boryſthenes, quàm lato ſinu laudibus *Koniecpolianis*, oneratus ſe præcipitat, vt cæteras mundi regiones, non fluuius prætereat, ſed mare inundet. Non ſola, beato recens Podolia lætata ſpectaculo, cum ſanguine Scythico vndantes ſpectaret ripas, natanteſq; pharetras, arcus, capita numeraret: quodcunq; littus, *Koniecpoliana* hæc trophæa prætervehebantur: Illuſtriſſimi *Stanislai Koniecpolski* Ducis Exercituum Poloniæ, robur inuictum, mirabatur; & tanti Herois incolumitatem Poloniæ; affinitatem Illuſtriſſimæ

Don-

Donboſſianæ Familiæ gratulabatur. Tiberius Gracchus, factione opulentorum oppreſſus, pridie quam occumberet, patris ſtatuam in foro adijt: eamq́; diu contemplatus, fatis ſuis miſerabiliter eſt illacrymatus. Enimverò, cum omnibus graues ſint fortunæ aduerſantis inimicitiæ, tum ijs plurimum quorum fauori obſtrictior videtur. Tantò altiùs vulnus figitur, quantò confidentiùs petit ictus. Meliori omine, tuorum Tibi addicta fortuna, procul fatorum metum à Tuis auſpicijs arcet; quandoquidem, per eos rectè factorum gradus, Te Tua virtus ad ſumma ducit: per quæ Maiores Tui ac Sanguine iuncti, ad culmina fortunæ & dignitatum euaſerunt. Perge felix & acceſſionem Illuſtriſſimæ Familiæ Oſſolinianæ diuinis vitæ muneribus adiunge. Neq́; caſu, neq́; humanis conſilijs ſtetiſſe veſtram coniunctionem exiſtimare poſſumus; ſed diuina mente olim decretam, hodie perfectam. In tam opulentam gloriæ hæreditatem Te ſucceſſiſſe multum erat; nouo ſplendore auctum ſuperi voluerunt. Agnoſce clariſſimo beneuolentiæ teſtimonio, quàm te carum cœli habeant; cui tam illuſtrem maximis propinquitatibus, tam gratam maximarum virtutum commendatione, deſignauêre ſponſam. Ad ſolem nemo facibus vtitur, niſi cæcus. Illuſtriores *Oſſolinianæ* claritatis radij emicant,

quàm

quam vt lumine aduentitio illuſtrentur. Non inter tenues calami vmbras, at in corde cæli, regniq; meridie ſpectanda ſummi ſplendoris maieſtas. Quod ſi omnia cœlitum munera gratijs ac veneratione colis, tantò maioribus gratum te ijs teſtaberis ſtudijs; quantò maius, omnibus vitæ muneribus munus eſt, digniſſimam vitæ conſortem meruiſſe. Ipſa tibi proſperitas nubit, quia virtus; Ipſa virtus, quia ſanctiſſima educatione enutrita, virtutum inſtitutio. O fortunata beatiſſimarum Nuptiarum auſpicia! Aſſurgite candidi dies, nouis illuſtrius ignibꝰ, nec aſſumptos vultus unquam deponite. Dies hic Parens ſit, & norma reliquorum, lætiſſimorum, auguſtiſſimorum, beatiſſimorum. Quid in *Donboſſiano ac oſſoliniano* cœlo nubes tenebroſæ poſſint, quod genus illuſtriſſimum ſerenat? Quid infeſtarum procellarum tempeſtates, quando uirtus imperat? Quid fatalium ignium rabies, quando cæleſtis fauoris, perenni refulget ſidere? Nunquam cœlites, vota iuſta repulerunt. Dabunt quidquid nos precamur, dabunt quidquid ipſi precamini. Videbit fælix poſteritas, refloreſcentem *Donboſſianam ac oſſolinianam* gloriam, & gaudijs noſtris fruetur: eò opulentioribus, quò præſentioribus. Videbit rediuiuam maiorum fortitudinem, & præteritis intererit ſæculis, cum intra deriuatam ab ijs gloriam, verſabitur. Creſcent

ſcent demum fæcundiores lauri, augebuntur purpuræ, cumulabuntur faſces, ad Familiæ, Reipublicæ, Eccleſiæ, immortalia ornamenta.

PANEGYRICVS

In laudem Perilluſtris & Admodum Reuerendi Domini HIPPOLITI Rzepnicki Præpoſiti Infulati Videnienſis, in funere eiuſdem. Anno 1646. nomine Academici.

A EGerit ſanè cum natura congruè, qui ſummum de rebus noſtris iudicium cineri immiſcuit; vt tumidos ſpiritus paruo exitu corriperet: niſi tamen virtutem, naturæ potentiſſimam vindicem, in fine maiorem aſpexit: craſſiſſimis tenebris aciem offuderat. Nunquam palmaris virtus, potentioribus incrementis per altum enititur: quam tem-

A *Diu ſilua momento cinis. Curtius.*

temporum prægrauante pondere; nunquam præſentiùs rebus intercurrit, quàm vltima defluentibus ſenectute. Licet enim cum primum occupauerit animum, regnum latè promoueat, & omnia calcet: ita nihilominus cunctis eminet, ut multis par, quibuſdam inferior; rerum noſtrarum iniquitate videatur. Quis audeat eum non conniuenti oculo ſuſpicere, cuius magnitudo dum uiuit, tam certa, quàm incerta eſt? quis cultu tanquam dignum proſequi, cuius meritis, frequens hominum, in melius peiuſq; mutatio, ſæculorum voce reclamat? Nihil eſt, quod aut verbis, aut factis in tanta inconſtantia credamus. Leues ſunt & falſæ mundi imagines, multiſq; adulterantur coloribus. Remoue inuolucra temporum, remoue laruatos vultus, vſitata vitiorum effugia, nudum ſi potes animum intuere: & qualem videris, talem crede. Hunc verò quoniam mors corpore exuit, proximeq; intuetur: ſola ſine errore cognoſcit, ſola rectè, de eo pronunciat. Tùm ſe ingentes animi verè produnt, tùm virtus ſpecie ſuâ emicat, tum mens inclyta cœlum conſcendit: vt ab alto venerationem colligat. Magnorum, magna etiam ruina eſt. Cadunt, vt admirationem, vt cogitationes intuentium ſtupefactas ſuſtentent: vt æſtimationem, mole non impediant, ut iudicia ad certitudinem attollant. Non

eſt

eſt hoc exiguum eſſe, tantum proſterni: non eſt deſinere; vitam ab exitu inchoare. Si enim vera uita non eſt, ab animo, & virtute, eo caſu emanata: reliqua, ne mortis nomen dignè ferẽto Diuiſa nimirũ illa inter ſe, parte corpus, parte animum vegetat: quæ cum potior nobilitate ſit atq; origine, meliorẽ titulũ, digniore merito occupat. Quamdiu tempore alimur, mens negotijs impeditur: & ſi ad opus manuſq; cogitationes conuerterit, aut in corporis commodum laborat, aut in futurum ſibi prouidet: in præſenti, anguſtiæ cum toto apparatu, prodire non ſinunt. Erumpunt interdum oculis, ſplendeſcentes animi igniculi, vultu liberalis decor refunditur, inuadunt frontem eximia maieſtatis ornamenta: nuſquam tamen animus, integro comitatu ſe exponit, nuſquam prodit. Itaq; ex magnificẽtiâ veſtibuli, & liminum, magnum incolere hoſpitem auguramur: de ipſius vultu, moribus, potentiâ, tutò decernere non poſſumus; donec reſeratis clauſtris, magnum, mors in publicum produxerit.

Proceſſerat ætate ad hunc gradum *Hippolytus Rzepnicki*, vt approbantibus fatis, matura virtꝰ, perfecto cultui deberetur; & egregiè facta, lucem ſine nube ingrederentur. Soluere igitur morbus membra, laxare compages, animus libertatem quærere, mors parare. Nihil

ta-

tamen tumultuoſâ inſtantiâ geſtum, nihil formidine ſepulchri prænuncia, præcipitatum. Exaggerata quædam vis virtutis, virum in officio continebat, rectè factorum confidentiâ, liberũ æternitatis ingreſſũ obtinente. Magnã beatitudinis portionem credebat, mori; & (vt eſt) viam quandam, ingreſſumq́;, diuinitatis: cuius immerſus cogitationibus, nonniſi iniuriâ, moleſtiâq́; ſummâ, ad vitam præſentem reflectebatur. Cœlum inſediſſe cum lectulo, diceres animum; ita de cœlo, cœleſtibuſq́; continuo agitare, cœlum referre, cœlum admirari. Aſſueſecerat nimirum olim, ad grauem æternitatis luctam robur: magnis certaminibus, multis prælijs contra tempus, contra fortunam feliciter geſtis. Quod immortalem ſe ſciret, & cogitaret, ne mortale facinus ad manus admitteret, maximè prouidit: etiam cum ad humana declinaret officia, neceſſitatem ſecutus, non voluptatem. Eos grauis interitus opprimit; quos, inter medias occupationes, inopinatò inuadit, aut renitentes rapit: ille verò tam præſenti animo excepit aduenientem mortem, quàm intrepido, toto vitæ curſu intuebatur: tamq́; hilariter oblatam admiſit æternitatem, quàm prouidenter, eius experimentis mentem addixerat. In vita ſtadium mort s inuaſerat: vt in fine terminaret curſum, non inchoaret. Prudens equi-

quidem vir, & admirandus, qui caſuum incertitudinem certa ſpe, temporis inconſtantiam, ſtabili ſtudio, uitæ amorem, eximio neglectu, tam fortiter contempſerat: ut in maximis periculum non ſentiret, in extrema egeſtate auxilij, ſibi ſufficeret. Hæc eſt gloria vera, benè actæ vitæ, hoc egregiè factorum monumentũ uiuere ſine ſenſu uitæ; mori, ſine ſenſu mortis. Propè eſt vt exclamem. Beatum Te inclyte Præſul! & verò, ita res habet: aliud imperat dolor; cuius encomium ſtupor eſt; gratulatio, gemitus; triumphus, lacrymæ. Firmatum igitur in fortitudinem animum cum nulla vis, nullus impetus veſtigio dimoueret; ægritudo partitis viribus, acrius impugnare cæpit: aut patientiam deditione, aut conſtantiam morte violatura. Cecidit, non ceſſit, vt mors dubitaret, an victus eſſet, inuicto animo cæſus! Quanti verô erat omnibus partibus diſtractum, integrum conſtare? multiplici dolore oppugnatum, ſingulis adeſſe? Quanti erat, fata contra ſe armata, vt pro ſe pugnarent, cogere? Ducis prælio optimi, ſuperauit laudem. Ille dum ſingulis opitulatur, omnes non attingit: dũ omnes animat, ſingulis aufertur: hic vero ita vni parti aderat, vt iuuaret omnes: ita vniuerſos iuuabat, vt nulli deeſſet. Pulcherrimum enimuero fuit ſpectaculum, & pluſquam mortali dignum intuitu:

cum

cum deficeret, videre non deficientem, cum diſſidio grauiſſimo diſtraheretur, ſpectare compoſitum. Proſequebatur ad hæc, interdum ſe; & tumulo deponebat, inanime corpus: & viuebat ſuperſtes ſibi; inter mortem, ſine morte. Noluit eijci vitâ, ſed exire; quod multum intereſſet, mors ad aliquem venerit, an ad mortem properârit? iratum vitæ ex urbauerit, an obſequentem eſſet comitata? Quoties itaq; exundans affectus moras rumpebat? quoties ſimiles voces profunda deſideria excuſſerunt? vita non eſt quam deſero; vita eſt quam expecto. Primo paſſu lucem, & mortem ingreſſus ſũ; mecũ nata, mecũ deſinet. Æternitati editus, æternitati vixi, æternitati morior. Grata eſt omnis peregrinatio in Patriã. Audere verba non poſſent; niſi audaciùs, mores probarent ſermonis dictamina. Voces audiebantur, vita erat. Quid verò, ni optimè ſperaret, ni ſalutem animosè ſibi polliceretur? cum eam amantiſſimè compreſſam, inter brachia crucis, ſuaq; pendentem, amplexaretur. Agnoſcite purpuratum cœli, ſanguine ſeruatoris tinctum: cui ſuauiſſimo naufragio ſe immerſerat, vt ad profundum miſericordiæ pertingeret. Agnoſcite fidelem Numinis amicum, cui pectus Dei in obitu patuit; vt arcana deſtinationis, ſperare diſceret. Agnoſcite ſuſceptum ſupernæ vrbis ciuem, cui regales manus, non ad

 oſcu-

oſculum tantum indultæ, ſed ad delicias expanſæ; vt non tam in loculo, quam in ſinu ſalutis, ſpiritum deponeret. Thebanorum Dux clariſſimus Epaminondas, letali vulnere, pro Patria accepto, mori præterquam in ſcuto, noluit. Glorioſè profectò, & ut aliquid concedam; etiam feliciter. Egregium genus mortis; vnde ſpiritum acceperis, ibidem deponere: felix, integra arma, non domum ſolum referre, ſed deferre ad immortalitatem. Nihilominus commendant hæc autorem, non iuuant. At verò innexum brachijs ſaluatoris occumbere, non plus pietatis habet, quam ſubſidij. Tangebatur tali ſenſu Præſul, ideoq; pectori, ori, manibus per uices, porrigebat, ſanctiſſimam imaginem; donec mortis conſiderationi, ſuauiſſimè immoreretur. Nequaquam leuia ſanctitatis indicia, & ſubitas notas, dum iſta denuncio; explico. Diuturnæ conſuetudinis opus erat, & fundatæ religionis perfectio. Nihil perfectum prima manu educitur; nihil magnum primo conatu perficitur. Ab eruditâ arte ueniunt, poſteritatis inſtructiones; à culto calamo, ſucceſſionis monumenta; ab examinato ingenio, diu placitura. Adde in vltimo deſudanti agone, etiam quæ magna ſunt, infra mediocritatem videri. Paruum eſt, quidquid æternitati incomparabile; leue quidquid mortale, quidquid cum tempore tranſit, nec autorem

rem comitatur. Facile temporum ingenio ſufficimus, breui, & caduco: quod æternitas commendet, quod foueat, ipſam æquare debet. Age in hanc neceſſitatem proiectus; audebis quidpiam ſubitum, aut commodatum proferre? non te periculum incertæ fidei, incertarum rerum mouebit? ne cum uitâ remaneant, ne ſine comitatu deſerant, ne in immenſum perenne, ſine prouiſione extrudant. Vtinam tam loqui poſſim, quam ſentio: vtinam tam ſentire quam Præſul egit! Ecce enim cum hæc dico, offerunt ſe menti meæ, rerum ab eo geſtarum præclaræ imagines, & admiratione detentam, ſplendore perſtringunt. Nulla in ijs mortalis facies, nullus temporis vultus. Omnia æterna, omnia immortalia. Secundum in laudibus obtinere locum parum eſt, quidquid prodit, in frontem enititur; vt domino proximè aſſiſtat. O pulcherrimum rerum tumultum! ô confuſionem ordinatam! in qua non de dignitate certatur, ſed de theatro: pari apparatu, pari ſplendore. Quam vere eiuſdem ingenij eſt, res gerere, & geſta tueri! Quam difficilis factorum, in verbis imitatio? Tam admirabili artificio, ſplendoré virtutum, modeſtiâ attemperauerat, & quadam velut vmbrâ velauerat; tam eximia popularitate, maieſtatem demiſerat, vt nec ab alto deſpiceret minores; & in imo colereretur à maximis. Diſpoſuerat virtutibus

ordinem,quem inter ſe,quem in publico obtinerent. Sedebat explicata fronte,liberalis ſeueritas: genas grauis verecundia tenebat: oculos, dignitas ad pares; comitas ad inferiores, miſeratio ad egenos, deferebat. Iam verò ipſe animus,quàm pleno comitatu ſtipabatur? Hîc illa ſanctimoniæ cuſtos humilitas, hîc humanarum rationum fidelis encomiaſtes candor, humanitas, ſinceritas. Si cum Deo interueniret actio, & ſuperis; ſuccincta aderat pietas, flagrans amor, inuiolata fides, perfecta confidentia; ſi ad humana negotia deſcenderet; quidquid virum iuſtum, temperantem, prudentem,fortem deceret,non oculis tantum, ſed & admirationi ſufficiebat. Diſpenſatur enim interdum, etiam cum vilioribus animis, vt aliquid, maius ſe ipſis, audeant; ut autem conſtanti admirationi par; ſola magnorum prærogatiua habet. Prodit, non ornat, virtus indignum; vt commodatus ſplendor egenum: niſi fortè commendationis aliquid tribuat, magnificè eſſe ſordidum. Non eſt ſatis virtutem ferre, ſi te virtus non tolerat. Et perſonæ rei, & res perſonæ accommodanda. Vtroq; commendatio naſcitur, ab altero imperfecta venit. Apparebant itaq; uenturæ perfectionis à puero adhuc præludia; & admirationis lineamenta: quæ filum veluti Ariadnæ, in abſconditos vlterioris æui annos, præſagium de-
du-

ducerent. Nobiliſſima Indoles, ſapientiæq; deſiderium, pulchro impetu mentem concitauerant: vt ſuæ immaturitati, maturitate animi prælatus, virum in puero aleret: cùm auſu eximio, tum propoſito conſtanti. Noluit virili prudentiâ quâ plantatus erat ſede adoleſcere, nec vni loco, orbi natus, increſcere; & quam primum licuit, effecit. Neſcio quæ cauſa agat, vt tenues plantæ, primo ſolo non mutato, aut degenerent, aut intereant: illud orbis iudicio conſtat, adoleſcentum virtutem, in ipſo flore defluere, ſeneſcere in infantia, niſi diuerſo àëre reſpiret, niſi cœlum mutet. Vtinam verò tam multi culpam agnoſcerent, quàm multi contra iuuentutem, contraq; Rempublicam peccant. Ciuis non eſt qui ſibi viuit, quanquam nec ſibi viuit, qui ſemper ſub otio iacet. Pro pudor! cunis per annos iuuentutis non excreſcere, ſemper eas proſpectare, ſemper ad eas ſtertere. Annibali, Campania Cannas reddidit. Ceſſit floribus, armatus victor; ceſſit naturæ amænitati, irarum contemptor. Vicit exercitus, victus eſt ſine exercitu; exarmauit præſidia, expauit voluptatem; nulla manu, nullo pede inſtante, ab audaciâ, à virtute, ab Annibale fugit: cæſus ſine viris, debellatus, ſine hoſtibus. Viri creſcite, non pueri, ad delicias, ad ignauiam nati! Poloni, non turba, id eſt fortes, animoſi, ad ardua re-

reſoluti, ad magna anheli, ad fortia intenti, ad gloriam, ad famam, ad æternitatem inuadendam prompti. Cracouiam igitur noſter Præſul ſe contulit; virtutis & eruditionis clariſſimam magiſtram: ut in ea, cum ætate, incrementa ſapientiæ rectiq; acciperet: & diligenti curâ, breui, doctus probuſq; dici, & eſſe, meruit. Communis videri poterat laus, & vulgaris commendatio, ſuperficiem aſpectantibus, curioſitatis affectis: at qui mentem in eius ſtudia, altius immiſiſſent, & accuratius vitæ conſuetudines obſeruaſſent, ingentia omina ſingularibus innectebant præſagijs. Eximium erat; intra licentiam annorum liberiorum; nihil ſibi permittere; quod ingraueſcenti, aut non liceret, aut non placeret: egregium; paruam ætatem, magnis compleri exemplis: magnum, gradu cæpto nunquam pedem dimouere, vſq; ſapientiæ Theologicæ abdita ingrederetur: at, inquietus ad alta animus, & pertinax fortitudo, quidquid egiſſet, infra ſe ponens; audendum ſtatuit, quod expectationem communem tranſcenderet, quod multi laudarent, pauci imitarentur. Per calcatam igitur æſtimationem, & ſpes in hominibus excitatas; per contemptam libertatem, & facultates Polono nobili cognatas; per parata honorum culmina; virtuti & ſapientiæ alibi vſitata, apud Polonos debita; tranſilijt orbem, & ſub cœlo BB. Mar-

tyrum, ad Diui Auguſtini leges vitam compo-ſiturus; ſubſtitit. Intelligunt etiam qui oderunt, facti magnitudinem: intelligunt, tantum opus, nec humana virtute tentari, nec viribus communibus perfici poſſe. Hominem exceſſit, qui humana: & ex autoritate magni Præceptoris Neronis, Deus quidam, aut deo proximus effectus eſt; qui momento, res, & ſpes exuit: ac diuinitatis participatione, vt nunquam egeret, proiectis omnibus, effecit. Neq; enim pauper eſt, qui perdidit, quæ faciunt pauperem: ſed diues, cui paupertas, ingentes contulit opes. Cenſus & redditus opulentum plenè non faciunt: egenum frequenter. Opibus, paupertas inſtruitur, ſæuiſſima, collectis perditiſq;: quoniam illæ non ſatiant, hæ cruciant. Fecit igitur magnificè, fecit etiam prudenter, deſerendo non ſecutura: niſi relinquendo prouidiſſet; vt ſequerentur. Quem enim vnquam dignitas honoris ſecuta eſt? at ſanctitatis plurimos. Cuius ſupplicia aurum, aut æs, morti exoluit? at orbitas multorum. non ignoro, impreſſa tumulis nomina, & tumidam ſuperbiam titulorum inſculptam, ne ignobiles interirent. Scio apud Ethnicos in more viguiſſe, mercedem pecuniariam ore & tumbâ deferre; nè infernum non meriti ingrederentur. At quam vanus iſte, & crudelis genius? Miſeros nos, ſi noſci per ſcelera vo-

lumus, ſi interitum emere. Bis perit, qui perlere vult. Macte virtute, magne Præſul; Multorum ambitio, ut nomen celebraret, laudibus animauit inanima: multorum ſuperbia, vt gloriam obtineret, ſanctitatem famæ, violauit mendacijs; te virtus, te erudita pietas, te animi ingens magnitudo, ſupra orbem victum euehet, laudeſq; perennabit. Ferunt Hiſtoriæ Alexandrum Macedonem, cum ante obitum à philoſopho accepiſſet, infinitos mundos inueniri, ingenti querimoniâ comploraſſe. Heu me qui nè vnum vicerim! ô animum impotentem! ô rerum dominum, cupiditatum mancipium! Quàm verè non vicerat, nominis ſolius occurſu, territus? Non Alexander mundum poſſidebat, ſed mundus Alexandrum. Illenè orienti imperaret, qui ambitioni ſubditus? ille regeret, qui ſe Regem ignorauit? maior eſt, qui per opulentas gazas nudus inceſſit: qui faſtum calcauit, opulentior eſt, potentior eſt. Ille multa reperit, quæ ſitiret, Præſul noſter nihil, quod deſideraret: quæ abijceret, plurima. Illi addere orbis aliquid potuit, ab hoc accipere. Illũ pænitentia factorum mouit, hunc promouit gloria. Supra orbem tandem euectus, virtutem admirabiliter ad Dei oculos protulit; dignaq; iudicata, cui ſe Deus, (ô admirandum!) tantâ liberalitate permitteret; vt diſpenſari in cæterorũ quoq; vſum, ſub ſacratiſſimis panis

&

& vini ſpeciebus, pro libitu pateretur. Accepṭauit gratè munus, & cum referendo laboraret; Deum ditauit. Patrimonia enim Chriſti, vetuſtate abolita, ſitu ſqualida, inertiâ neglecta; priuilegijs puluere, alienoq́; dominio abſterſis; in libertatem vindicauit, & cœlo iterũ adiunxit. Felix vtroq́;, & neſcio felicior dando, an accipiendo. Nam & accipiendo dedit; & dando accepit: pro munere animum plenè Deo deuotum; in munere, laborem cum ſedulitate recuperandi. Quod ſi primum Dei donantis gratiam, deinde referentis affectum expẽdere vellemus, nonnè pulcherrimo certamini interueniremus? Quàm ingens cœlorum munus eſt, Regale ſacerdotium! Miratur attonita natura, naturam vniuerſi, in humanis palmis conſidere; ſtupet mens perculſa, mentem rerum omnium, primam ac maximam; magnam totius mundi animam, imperium mortale expectare, exequi. Vidit hanc in ſe magnus Præſul Dei liberalitatem, magnoq́; cultu, continuâ intentione, dignum beneficio animum exhibere ſtuduit. Sæpe igitur eum ad pedes diuinæ liberalitatis aduoluebat, ſæpe peracutis ſentibus corpori impreſſis, ingratam obliuionem expungebat, ſæpe flagellis acriter incitatis, tarda mentis molimina, ad recordationem excitabat: nulla parte ſibi, omni Deo deuotus, Deo obligatus.

Nihil adijt vbi Deum non inueniret; nihil immitatus eſt, quo Deũ non exprimeret; vt qui Deum omnibus intereſſe, omnia implere dubitaret: apud Præſulem ſpectare poſſet. Hoc incitamento impulſus eſt, ut hereditatem Chriſti, cineribus excuteret, vt reditus detractos cœlitibus, apud homines quæreret, vt ſublata templorum ornamenta, iniuriâ commoditatis ſuæ colligeret. Hac cura prouocatus eſt, ad aras renouandas, ad ſacrum ſplendorem augendum, ad gloriam Numinis optimi Maximi propagandam. Noluit commodis ſuis, damna Chriſti alere; placidiſſimam quietem ratus, pro Deo laborare. Quotquot igitur arbores infeſtis dominijs ereptæ cenſentur, tot Præſulis maximi lauri, tot hæderæ: quotquot viæ, iniqua poſſeſſione ſunt vindicatæ; tot famam eius latè deducent: quotquot agri reſtaurati; tot memoriam gignent, quam poſteritas metat ſucceſſura. Surgent fertiles laborum manipuli, animorum ac laudum altrices: mature ſcent rigatæ ſudoribus fruges, recordationis æterna fomenta: turgebunt floridæ curæ, amæniſſimis herbis, in poſterorum delicium. Meruit, ſentiat. Nemo verò ut opinor cùm hæc intelligit, publicos viro non decernit honores, concordi cum virtute voto: nemo etiam à quorum poteſtate venit, non deferebat: niſi demiſſio glorioſa, regimen maluiſſet

ſu-

ſuſtinere aliorum; quam obtinere. Vicit tamen priuati boni rationes, publica vtilitas, bonorum deſideria, concordia ſuffragantium, vt fugientem proſecutus honor, Miednicenſem imponeret adminiſtratioñe. Suſcepit, ſuſceptus eſt; Nulli ſeuerus, omnibus æquus; aliorum culpas inſe præuertebat;ne ab exemplari vitia deſumerent. Ad vitam enim ſuperiorum plerumq; ſubditorum mores conformantur, ut tanquam regulâ quadam, vitâ eorum dirigantur. Demittebat ſe plerumq; ad infima, paruiſq; miſcebatur; Dei ſcilicet more, nulla maieſtatis contumeliâ infimis ſeſe permiſcentis; Non ab officio tantum manat honor in perſonam, ſed à Perſona in officium, transfunditur. Pulchrius igitur emicare virtus cæpit in publico, priuata; & perrupto clauſtro, Illuſtriſſimi Ducis, *Martini Giedroyć Mſcislauienſis Palatini* menti, eſt infuſa. Conſtituerat ille Beatum Michaelem Giedroyć, Diuorum cultu proſequi; & ad ſanctæ cognationis monumentum, Ordinem BB. Martyrum, in quo ſanctitate floruerat, fundatione Videnienſi augere; ut iiſdem ditionibus, in cœlo cum Diuo ſanguine frueretur; quibus in terra propinquitate affinitatis copulabatur; uerum cui rem committeret hærebat. Aduocat igitur *Hyppolitum Rzepnicki*, amorem eius in cœlites obteſtatur, ſuæ pietati in Beatum affinem

ne

ne deſit onus & regimen acceptet. Negare non potuit, quia Dei cauſa agebatur. Ne autem ſub onere vel ipſe, vel ſucceſſuri languerent, eiuſdem Ducis impenſis, vim regendi, à capite Romano, Chriſti vicario, Româ aduexit; Epiſcopalibus ibidem ſuſceptis inſignibus. Quàm multa paucis inuolui? Quàm amplum Illuſtriſſimi Ducis de virtute iudicium? quàm pium in Diuos animum? quàm ingentes in pietatis operâ labores? Quàm multas Terras, regna, prouincias, multis incommodis ſuperatas? Quid Vicaria Chriſti beneuolentia & commendatio? nonnè magna laudum præconia? Quid Tiara ſceptrumq; Pontificale? nonnè ampliſſimi honoris teſtimonia? Non ideo tamen inglorium deſero, quando facta ſuccedunt laudationi. Grauius exempla perorant, quàm facundia diſceptat. Res, ſunt Orationis fulcra; verba rerum blandimenta. Vnde nec ad vlteriorem dictionem erigerer, niſi pondus ſuſtentaret. Dignitatem hanc, ex omnium ſententiâ, ſupra multorum virtutem bene geſtam, maior exceptura venit: crederes triumphare honorem, de virtute, cui ſe tutò commiſerat, ſatiariq; non poſſe contemptore animo. Omnibus in Prouincia imperaturus, ex omnibus electus, ad gubernacula totius Prouinciæ admotus eſt. Ingens dignitas niſi ſacratiſſimo ingenio, maiorem effeciſſet; ſecum

eum ad humilitatem deferendo. Quiſquis altum in alto quæris, erras: in imo decubat, in terra quære. Maius culmen non datur, quàm ubi honor iacet. Tranſcendit omnia, qui cum dignitate demiſſè inclinatus, eleuari non poteſt. Hoc egit cum dignitatem demitteret, hoc præſtitit cum ad Templi fundamenta ſe inclinaret, hoc monuit, cum ſepulchro honorem præpararet. Suprema vox fuit, primâ digna memoriâ, quâ pompam & feſtum lugubre à ſepultura amouit: ne etiã poſt mortẽ ſplẽdore ſuperbo, modeſtia vulneraretur. Nõ promitto ô Præſul ſanctiſſime, nec tam ingratè de tuis polliceor. Dabunt cultum, dabunt apparatũ, ſed ſine faſtu, ſinè uanitate. Dabit tua uirtus, dabunt merita, dabit animi virtutumq́; immortalitas. Nullus hoc pretioſior, vitâ functorum cultus, nullus glorioſior apparatus. Laudaberis glorioſè, coleris magnificè, viues æternum. Nequaquam vt oculis noſtris, ita pectori te fata ſubripuerunt. Liberi ſumus, ac integri: recordationem tui cum fide ſeruabimus. Nunc verò quia interdicto alio apparatu, ſolum ſqualorem ac lacrymas tuo funeri impendi permiſiſti; eas ipſas, licet exiguam officij noſtri portionem, ad tumulum deponimus: quidquid præter corpus, inter mortales reli-

quiſti; Virtutis ſcilicet ac beneficiorum memoriam, domum reportaturi ut hac meliore parte, viuas nobiſcum immortalis.

PANEGYRICVS

Perilluſtri ac Reuerendiſſimo Domino D. CASIMIRO LESZCZYC Ryſinski, Præſidenti & Commiſſario Apoſtolico, Ordinis Canonici Fratrum de Pœnitentia, Beatorum Martyrum, Regulæ S. Auguſtini, Vicario Generali, ac Præpoſito Videnienſi, Suum honorem feliciter auſpicanti inſtitutus. Anno 1640. *nomine Academici.*

QVod vnum erat votum proborum, & quod benè ſentientium ſpes, vnicè ambiebant: id, non fortuito euentûs repen-

pentini fauore; ſed certiſſimò ſuperum ſuffragio, tuarumq́; virtutum præclaris meritis: oblatum tibi hodie gaudemus, Perilluſtris ac Reuerendiſſime Domine. Reliquerat nimirum, cum ſummo deſiderio, non modo gratam, ſed etiam parem ſibi memoriam; digniſſimus Antiſtes, tuus Prædeceſſor: quæ in vacuo, perilluſtris honoris cœlo defixa; orientem ſolem, non ſine tædio expectabat: num ea dignitate, qua occubuerat, ea luce quam oculis eripuerat, rurſus in orbem ſe referret? Quemadmodum ſcilicet mundus hic noſter, deſcenſu ſolis ad ſubterranea, pulcherrimæ lucis gloriâ ſpoliatus; recreari, niſi ſole cum eadem ſerenitate reuerſo, nequit: ita mortalium animi, occaſu magnorum virorum afflicti; antequam publicum detrimentum, æquali commodo ſubleuetur; ſub luctu mœroreq́; iacent. Magnum igitur eſt lætitiæ inuitamentum, magnaq́; gloriæ ſeges, te in eo honoris culmine conſediſſe, quem dignè occuparis: & cum pridem ſis meritus, vniuerſi demum ordinis ſuffragante conſenſu, meritum apparuiſſe. Debebatur tibi olim, quod redditum eſt, eoq́; amplius, quod tu alienum eſſe cuperes: ſed an deberetur neſciremus; ſi apud te ſemper remanſiſſet: quanquam plus ſit ius in honorem obtinere, quam cum honore degere: quia multa nobiſcum aliena circumferimus, iure, noſtra.

poſ-

poſſidemus. In hac verò nobiliſſima felicita-
tis vtriuſq; coniunctione, cum multa præclara, multa glorioſa tibi contigerint; tum illud præ cæteris eminet: fortunam apud te pro dignitate ſupplicaſſe, vt reciperes; non te apud fortunam ut conferret; quod illi ſeruire non poſſes, quam totâ vitâ, virtuti famulari coëgeris. Valet illa vt in cæteris multum, ita in dignitate plurimum: imo tantum; ut ſola propè, æui noſtri perpetuis querelis, dominari videatur, & accuſetur. Cui non palam ſunt Timothei, prouincias, præturas, vrbes, regiones, imperia, umbras veluti quaſdam ſomniorum captantes? Quem latent imperatoria ſacra, aureæ deuota fortunæ? cui, & Imperatores regale tributũ ſupplicandi, quot annis perſoluebant, in teſtimonium collatæ ab ea dignitatis: & ſucceſſorum fidei, imponebant, ut eius munus; ſiue dignitatem imperij, ſiue hæreditatem agnoſcerent, colerentq;. At pulchrius iter virtutis eſt, & curſus velocior; quem conſtanter preſſiſti. Diſplicuit tibi, ambitioſa magnorum ſeruitus, pro qua, libertatem egregiè factorum, ad dignitatis meritum aſſumpſiſti: ut non plus tibi conferret ſuſceptus honor; quàm à te acciperet. Magni nimirum & tui cenſura iudicij eſt; quidquid in alto ſuperbum oſtentat, non autem ſublimem attollit; calcandum obijcere virtuti: & per aceruos contemptæ cupi-
dita-

ditatis, gradum in alta facere. Diſplicuit mollis otioſorum ignauia; à fatorum leuitate, in expectatione felicitatis pendentium. Fortis enim, & tui animi proprium eſt, fatis, neceſſitatem fauendi, generoſis auſibus imponere: & felicitatem, non ab aliena manu, tanquam donatiuum expectare, ſed conſtanti labore atq; induſtria ſibi facere. Diſplicuit tranſuecta ab antiquitate ad noſtra ſecula, manuum ſuffragiorumq; captatio; recti enim, & tibi ſimilis animi decretum eſt; virtutem interceſſoribus non egere. Magnum igitur ſit, te dignitatē ſupremā, ordinis nobiliſſimi Sanctiſſimiq; attigiſſe; plus eſt, æqualia officio merita attuliſſe. Glorioſū cenſeatur, pulcherrimæ Prouinciæ ſtudia & ſuffragia, in te cōquieuiſſe; Maius eſt, eius oneribus paria brachia ſuppoſuiſſe. Eximium videatur, tot ſanctiſſimorum virorum, nobiliſſimorumq; collegiorum regimen accepiſſe; nobilius eſt, ita cum ſingulis priuatum vixiſſe, vt ab omnibus ſuperior dicereris. Debet tibi fortuna ſeruitutem, quam à multis accepit; debet obedientiā, quam multis imperauit; debet reuerentiam, quam multis eripuit. Abſoluiſti tempora crimine, meritis tuis: & ſenio defluentem ætatem, ad florem reuocaſti. Strenua contumelijs inertia, publicam impoſuit rebus ignauiam: ne ſi ad illuſtria factorum decora aſpirarent; non vbiq; deſidioſa compareret. Illuſtrem ple-

riq; cenſent gloriam, vniuerſitatis (quemadmodum aiunt) vitio corrumpi; eximium vitæ decus, ſæculi genium imitari; rectum animi ſtudium, virtutem antiquitati relinquere: magna temporum noſtrorum iniuriâ, quia contemptu. Deſidiam manu mittunt, ut liberius vitijs mancipentur; excuſationes foris cum tempore vendunt, ut domi ſine querelis, ignauiam clarè exerceant.

Oſtendiſti vniuerſis, non ſæcula viris deeſſe, ſed viros ſæculis; cum pulchritudine virtutis, omnium oculos impleuiſti: ut eam tanquam eminentem, ac inter optimos, meliorem, ſupremo honore adorarent. Eximium profecto, de excellentia tuorum meritorum iudicium, ſiue ad veritatem confirmandam, ſiue ad augendam gloriam. Tuto nimirum omnibus creditur; etiam quod cum periculo ſingulis committeretur; neq; facile error ad ea vota pertingit, quæ multorum numero, dignitate, authoritate muniuntur. Quod ſi eam integritatem ſuffragantium, eamq; ſanctitatem, quæ in tua electione tibi ſeruiuit, ſtatuerimus: vt vnius ſententiam, omnes ſine trepidatione ſequi poſſint: neſcio, an non ipſa virtute maiorem Te dixerim, niſi ſuperior, eorundem votis denunciareris, decretis approbareris. Rarus eſt, rarus profectò, qui generoſiore animo, reptantis vulgi confinio, & vitijs ſe abſtulerit: ra-

rarior, qui dignos etiam, dignitate ſuperaue-rit: rariſſimus qui inter optimos, primatum teneat. Impares non egent delectu; at vbi ſe æqualis virtus præſentat, altiorem, quâ arte cognoſces? ſi felicem, inter victorum nomina quæris? habes Pompeium; at ſi cùm Iulio contuleris, quem fortunatiorem appellabis: cũ vtroq;, diu & ſemper felice, vltima fortuna in altero errauerit, alter in fortunã impegerit. Tantus igitur es Antiſtes Reuerendiſſime, vt qui te magnũ dixerit, paruũ dicturus ſit: qui maximũ, rẽ dicere conatus videatur: quia cætera, ſunt communis virtutis nomina; eam autẽ, quæ inter ſanctiſſimos ſanctior, inter magnos, maior iudicata eſt; qua tituli magnitudine exprimas? Sentio hic modeſtiã tuã vulnerari, ſẽtio animi humilitatem, infra præconia deſcendere; ſed facile ignoſces verbis, qui ampliora præſtas rebus. Noui ſanctiſſimã, ambitionem mentis tuæ, parere cupientis potius, quàm imperare, colere, quàm coli: ſed nemo libenter ſubeſſe cupit, qui dignè regnare non poſſit. Ita profectò eſt, naturâ tuâ, fortunâq; mecum conſentiente. Liceat enim augurari, quid ſit; cur te, natura in lucem progredientem, non in vulgus exturbauerit, non in vili ſinu depoſuerit, non inhonoratum inter animas communes, miſcuerit: ſed naſcenti purpuras maiorum, trabeaſq; ſubſtrauerit: ut eodem paſſu vi-

tam, dignitateſq; aggredereris. Cognouerat nimirum, mens Dei, futurorum certiſſima; digniſſimam animi tui indolem, qua ad eius partes tranſiturus; cognata bona, opulentá felicitatem, ingentes ſpes, deſerturus eras: & digna viro facta, in cunis coronauit. Reuocemne itaq; gentis tuæ pulcherrima decora, & inſignes in republica titulos? Proferamne longam ſeriem imaginum, & in oculis conſtitutam? Exponamne vetuſtiſſima maiorum monumenta, nobiliſſima officia, Illuſtriſſimos magiſtratus? Multa pace ab ijs cum ſalute Reipublicæ geſta ſcio; tacebone? multa bello ex publico bona profecta comperi; num diſſimulabo? credo temporum gratitudini, credo chariſſimæ Patriæ, quæ de magnis veſtræ familiæ viris, non tantum ipſa magnificè ſenſit, & publicis dignitatibus, quid alij ſentire deberent, oſtendit: verum etiam recentem eorum exiſtimationem, memoriâ conſtanti tuetur. Ne igitur pulueres excutere videar, Auus tuus Illuſtriſſimus *Ianuſius Leſczyc Ryſinski*, Caſtellaneus Kowalienſis, quam pretioſam purpuram tibi reliquit? Parens tuus Chriſtophorus, Succamerarius Breſtenſis Cuiauienſis, Gubernator Naclenſis, Palatinus Inouladislauienſis, quàm nobiles faſces naſcenti ſuppoſuit? Inuitabat te paterna fortuna, ad libertatem; tu ſupra libertatem aſcendiſti. Promittebat opulen-

lentum vitæ beatioris ſucceſſum, tu virtuti magis credidiſti. Porrigebat, avita trophæa; tu, ea, de te ipſo, victor erexiſti. Promittebat nobiles ſpes, magnos honorum fructus, tu ita honorem vitaſti; vt fugientem proſecutus, in tuam ſe hodie fidem recipiat,& admitti cupiat. Quomodo enim tibi non confidat? Fortitudinem in difficilibus fulciri petit? nemo dubitat, eum facile victurum omnia; qui ſui victoria præluſerit. Conſtantiam in aduerſis exigit? gradum quem obtinuiſti, nunquam perdidiſti. Animum in tempeſtatibus & periculis requirit? eum tranquilitate mentis, præparaſti. Non attingam pietatem in Diuos eximiam; quid tamen in eo genere, maius audacia offerat, quàm ſui, propter eam, obliuione? Non prudentiam in rebus gerendis præſtantiſſimam, quod tamen iudicium de ea præſtantius dabitur,quàm ita rationes diſpenſare viuendi; ut omnes probent,omnes ſuſpiciant? Non ſcientiam rerum Diuinarum, humanarumq; pulcherrimam; quid tamen excellentius dicetur, quàm maiorem ætatis partem, eâ inſtruxiſſe? Enimvero quemadmodum magna domicilia, magnis animis natura metatur, ex opinione Latini Pacati: ita ſapientiſſima Numinis maximi prouidentia; te,cui corpus hoc, ſacræ Reipublicæ committere ſtatuerat, magnis præſidijs ditauit. Poteſtas tua, animi ſi-

mus

mulachrum eſt, Animi arbitrio, membra ordinantur; tuo, partes ordinis diſpenſantur. Animus per omnia diffuſus, tu apud omnes venerandus pariter, ac amabilis: nec ſolum dignitate præes, ſed & virtute. Poteſtate voluntatem moues; factis, ad opera excitas. Maiorem te cæteris ita putas; ſi exemplo præſtes: & ad virtutem, virtutibus animes. Dignum corpus tanta mente, digna mens tanto corpore. Illud beneficium accipit, dum informatur; hæc præſtat, dum ſe liberaliſſimè communicat. Præſtes diu quod cæpiſti; audias quæ meruiſti. Cenſum crede fortunæ tuæ, quem laudibus perſoluimus: nec noſtræ obligationi nec tuæ dignitati parem. Vt adorarem dignitatem acceſſi, non vt eloquerer: ea ſpe ac voto, fore, vt tua merita non mei ſermonis tenuitate, ſed germano virtutum pondere metiaris.

PANEGYRICVS

In laudem Perilluſtris ac Magnifici Domini D. Georgij Iacobi Szweryn Cubicularij Aulici, S. R. Maieſtatis.

tis. ac Illuſtriſſimæ Dominæ Euphroſinæ Sanguſſkowna Ducis à Kowel, ſub titulo. Plauſus Epithalamicus, 1644. nomine Academici.

Exorere,
Sublimiori conſpicua cœlo,
Lux auſpicatiſſima!
Coniugalis amicitiæ pronuba, æternorum teſtis fæderum.
Exorere
Szwerinianarum Sanguſcianarumq; tedarum ignibus auctior!
Effulſiſſe ad ſpendorem non ſufficit,
quin luceas:
Illuſtriſſimis facibus accenſa.
Ingens cœlo Litauo facta claritatis acceſſio,
Tantorum ignium luce.
Singuli, multos ſplendore ſuperabant,
Geminatus fulgor, quàm latè ſpargetur?
Sidera ante dixiſſes,
Nunc nomen, par ſplendori, difficile reperias:
Meritoq; queraris,
Cœlos, inter ſua lumina
Par fratrum, nec tamen par tale ſponſorum Adſciuiſſe.

At

Sidera ſint cœlis, ſua ſunt quoq; ſidera terris
Quæ genus, & virtus, illuſtribus ignibus ornat.

Tollite faces maritales,
Suo, ſatis latè *Szwerıniana Sanguſcianaq;* gloria,
Refulget ſplendore:
NISI
Romanorum vetus conſuetudo,
Ideo faces nuptijs intulerit;
Vt minores ignes, maiorum ſplendorì famulari;
Cum exurerentur, deficerentq;
Glorioſius generis, perenne virtutis decus teſtarentur.
Hoc, cui adſtiterit; commodatis luminibus non eget.
Agnoſce ô Patria
Tuos in *Szweriniana* luce radios!
quanta quanta lux apparet, Tuæ gloriæ ſidus eſt.
Splendet, vt ſplendeas;
Iungitur nouæ luci, ut lumine cumuleris;
Nitet, vt commoda tua clarius in ea perſpicias.
Szwerinianum eſt,
Vtilitates ſuas, publicis immiſcere:
Viuerę & nubere Patriæ;
Vt ſemel acceptam vitam, ſæpius in ſe ſuiſq;

re-

rependat.

Familiæ, ſine nuptijs eſſe non poſſunt,

Ciuitates ſine Familijs.

Caue, toties triumphatis hoſtibus

Epaminonda,

Pelopidas, te accuſat.

Non curat Remp: qui nullos poſt ſe Filios

relinquit:

quorum manu ſalus Patriæ defendi poſſit.

Succide plantas, ingentes breui ſyluas metes,

Orbis rerum viciſſitudine conſtat.

Niſi ſibi ſuccederent homines; homines inter

homines

quæreremus.

Mortibus perennamur;

Semel nobis, ac orbi occideremus, ſi ſemper

viueremus.

Parentes, ſuæ in vita poſteritati interſunt,

quam à morte occupant.

Vivunt ſæcula, ad quæ nondum peruenerunt;

Dum inter ſucceſſores verſantur:

In quibus deinceps ſibi ſuperuivunt.

Szweriniana inſuper, in publicis vtilitatibus

Procurandis induſtria:

quod conmmune erat multis;

Proprium fecit.

Ducatus fæderum, ſacramentis colligatos,

Sanguinis quoq; vinculis vniri voluit:

Quod Prouinciæ,

Nul-

Nullis firmioribus, quam affinitatum vinculis
teneantur.
Nemo ſua viſcera, ſuum ſanguinem, ſuum corpus petit.
Corpus eſt Reſpublica,
Vnô ſpiritu animatur, ſaguine alitur.
Parem ſe vtriuſq; Prouinciæ ſplendori, ſponſum præſtitit.
Parem vtriuſq; dignitati ſponſam,
Accepit.
Fauete Superi,
Tam ſanctis, tam iuſtis fæderibus!
Vniuerſi factum *Probamus, Vovemus.*
Apage verò
Improbe laudum cenſor, Liuor.
Dentes acuis? extenuas vt frangas
Ad adamantinam veritatem.
Integra pro Sponſis, nobiſcum vetuſtas vouet.
Macte gloriæ magne *Szwerin,*
Sæcula ſuum tibi cultum deferunt.
Cum ingentes illas *Szwerinianas* animas,
Summa ſagi togæque decora,
In te ſuſpiciunt;
Gaudent, Te tuis parare honores temporibus, ſuis conſeruare.
Iungis virtutum ſimilitudine abſentis, cum præſentibus.
Exactam ætatem iterum reuocas;

Vi-

Vt qui illam, atq; hanc in *Szwerinian*a domo, intuentur;
Vtramq; ament, laudent, mirentur.
Vtramq; autem meritò; neutram ſatis,
Illam in maioribus, hanc in poſteris.
Imagines Familiæ,
Non in atrijs, ſpectandas proponis:
Sed in Te,
Abſq; aliorum iniuria;
Et cum digniſſimis fratribus,
Abſq; tuæ gloriæ detrimento.
Tuis inſcribit poſtibus fama,
Honor immortalis *Parentum*, dignus immortalibus
Parentibus, FILIVS:
Anima, vita, deficientium ſæculorum.
Sæpè, veſtigia maiorum, natis ignota,
Sæpe peſſimo errore omiſſa, ſæpe ignobili pede obtrita
T V
Ne quæreres, à prima ætate occupaſti;
Ne dimitteres, conſtanter inhæſiſti.
Dicamne ne perderes?
Vox ipſa, virtutis dignitatem, periculi ſuſpicione violat:
Corrigo itaq;, ad Tuorum meritorum normam, ſermonem.
Vt poſteros idem agere doceres,
Ingentibus paſſibus per omnem laudum

ma-

materiem es progreſſus.
Publica Comitia, amantiſſimum Patriæ ciuem
Aula Regia, glorioſiſſimum S.R.M. Aulicum cubicularium,
Viderunt, prædicarunt.
Habeant Romani Imperatores auream fortunam,
quam natis, deceſſuri e vita porrigant:
Aurea non eſt, quæ virtutis Hæreditatem natis non emit;
Aurea non eſt, quæ cum Lutea humi ſerpit:
Aurea eſt, quæ
Famam rectè factis mercatur.
Pulcherrimæ Filiorum opes, ſeruata in integro maiorum gloria.
Opulentiſſimus Theſaurus, benè meritorum.
Idem *Szwerinianus, & tuus,*
Digne maximis Auis, Proauis, Atauis,

Ioanne comite Szwerinenſi, Archiepiſcopo olim Rigenſi, Chriſtophoro à Szwerin apud Romanorum Regem, Summò Equitum Magiſtro, & Conſiliorum Præfecto. *Iacobo Ottone Szwerin, Imperatoris Chriſtianorum, ſupremo Exercituum* Rectore, *& regendorum finium præſide, ſuper Pomeraniam, Familiæ præpoſito.* Ioanne *Fælice Szwerin, Ducatus Pomeraniæ Cancellario maximo, & Capitaneo. Vlrico Szwerin Cæſaris Conſiliario Primate, cobortium*

eme-

emerito Duce & Capitaneo. Ioanne, *digniſsimo Curlandiæ & Semigaliæ Marſchalco ac Capitaneo, Ioanne Vlrico, hærede in Alſzwank. S. R. M.* Tribuno Militum, Tuo glorioſiſſimo Parente.

Inueniſſe tamen
Tanta domi decora parum eſt; quin promoueas,
Sublimi maiorum gloriæ faſtigio, quod addas
quæris, addis.
Culmen infra gradum ponis;
Generoſo non ſuperbo animi paſſu.
Virtus verus animi Honor,
Glorioſum *Szwerinianumq;* ſatellitium.
Augent Decus;
Sanguſcianæ gloriæ ornamenta.
Quæ & quanta?
Omnia Lituani Poloniq; orbis decora, hac
vna domo
continentur.
Nec familias tantùm, ſed Regnum implet,
Ampliſſimus hic,
Ducum, Principum, Regum ſanguis.
Vobis *Coniuges Fortunatiſsimi,*
Auſpicatum Hymenæum, Martiæ olim
clangunt tubæ;
quæ vtrinq;, è maiorum digreſſæ caſtris;
Germanicas, Sueticas, Scythicas,
Moſchouiticas, Othomanicas

terras, *Szwerinìani, Sanguſcianiq́;,*
nominis terrore, compleuerunt.
Gaudent & hilariori compleri triumpho,
ſaturæ nimium,
Laudum bellicarum.
Lætitia nuptiarum, ipſa inanima ad ſenſum
excitat.
Mars quoq́; *Szwerinianus Sāguſcianusq́;*, mutat
Frontem.
Roſas pro Lauro gerit,
Seuerus inter hoſtes, blandus inter amicos
triumphator.
Vobis,
Bellica ingenti ſonitu pariter acclamant
tormenta,
Diu
Ad hoſtium Victorias frangendas validiſſima;
Nunc
Ad veſtri nominis ſplendcrem,
Deinceps
Ad famam poſteris dicendam, triumphali
mugitu completa.
Veſtro
Vexilla, Haſtæ, torques, clauæ cæteraq́;
bellorum inſtrumenta,
Subſternuntur Hymenæo;
Vt paſſus non ſuperſit, imprimendus,
Niſi laudum, honoris, virtutis ſubſtratis
veſtigijs.

Quid?

Quidquid pes *Szwerinianus Sanguſcianuſq;*
attingit,
Aut Lauros, aut roſas inuenit.
Hac via preceſſêre Parentes, Sequentur Nati;
Deo Auſpice, Deo Duce:
Spondeo ſuccedenti ætati,
fælicitatem, ſolatia, Hilaritatem:
Ab aris omen venit.
Cum
Ad aras, Deo ſacras, eaſq; publicas;
Glorioſiſſimi Pijſſimiq; *ſponſi*, in fidem mutuã
iurarent:
Oraculo decretum,
Deo res eorum curæ eſſe, à quibus res diuinæ
curarentur.
Quanto pietatis exemplo,
Sacrum fædus in facie publica Eccleſiæ
initum;
Tanto diuini patrocinij merito.
Cùm ante Diuinæ maieſtatis vultus ſtarent;
Fortuna vtriuſq;, domus, firmiore gradu
aſſurrexit:
Cùm dextris datis, fidem ſponderent:
Probauit Numen conſilium, & fortunatos in
poſterum
Imperauit euentus.
Tum demum; dubio procul
Vox populi, vox Dei facta.
Inter laudes, gaudia, apprecationes, vota
vnis

vniuerſorum.
Acceſſit pietati munificentia;
Ad vſum ſacrum, pretioſo nuptialium
veſtium apparatu,
couerſo:
Vt candido munere, candidum in ſuperorum
cultu animum,
Semel teſtati, ſemper teſtarentur.
O ſponſi!
Optimam humanam ſupernamq́; fortunam
meriti,
Viuite, Florete!
Multorum in veſtri fauorem, fortuna ſe
addixit.

Konarſciorum, Ianiniorum, Czerniorum, Apeuerenſinorum, Dunitiorum, Zeliſlauiorum, Odrowązorum, Czaſtrowſciorum, Biverſteyniorum, Elemberkorum, Baziniorum, Slezeneorum, Dąbrouiorum, Machuiciorum, Mortanſciorum, Sokolowſciorum, Koſtkarum, Naruſzewiciorum.

Inſuper
Quos *Sanguſcanus* ſanguis ſecum traxit
Tot ſunt; vt numerari non poſſint
Iterato igitur Longeui, Fortunati, Beati,
Viuite Florete.
DEO, VOBIS, PATRIÆ, ORBI.
MERVISTIS, PRECAMVR.

Coronæ ferreæ quid notent? & aureæ 70.
Crucis Chriſti inſignia 200.
Conceptio B V.M. immaculata 279.
S. Caſimiri Traslatio 77.

D.

Deus actionum principium. 259. eum placandi modus 266. domeſticus quando 273. & regna innixa durant 308.
Deo & Patriæ naſcimur 307

E.

Erneſtus Donhoff. Tribun. Milit. 375.
Euforoſina Dux à Kowel 422.
Eques in ſtemmate quid notet? 99.

F.

Ferdinandus II. Rom. Imper. 128.
Fridericus Sapieha Capit. Grodn. 268.
Franciſcus Sapieha Capit. Volkin. 205.

Filii, imago patris. 119. 120. 373. eorum ad imitationem parentum adhortatio 206.

G.

Gregorius XIII P. M. 11.
Gregorius XIV. P. M. 14.
Gregorius XV. P. M. 15.
Georgius Tyſzkiewicż E. Sam. 181.
Georgius Radziwił S.R.E. Card. 360.

Georgius Oſſolinski Cancel. R. P. 377.
Gerardus Donhoff. Palat. Pom. 376
Gaſpar Donhoff Palat Sirad. 377.
Georgius Szweryn S.R.M. Aulicus 422.

Gregorium XIII. tres Indiarum Reges adorant, eiuſq; anima in cœlum ferri conſpicitur 12.
Glória à calamis & gladiis prouenit 141
Granadillus myſteria paſſionis barbaris prædicat 199.

H.

Hieronymus Dux Sanguſzko Suffr: Viln. 320.
Hermanus Donhóff Ductor milit. 375.
Hyppolitus Rzepnicki Inful. 395.
Hæretici inter ſe extremè diſcordes 81 ob ſtatuã D.Michaelis ſagittis petitã Vilnâ eiiciuntur ibid: patibulum in fidei ludibrium ante ædes D. Ioannis erigunt 166. concionator armis a prædicando per eos prohibetur.ibid.
Hæreſis ſymbolum 190. quam varia ſimul in Lituaniam inuecta. 166.
Hegendorfius primus Lutheri dogma Poſnaniæ proponit 170.
Hoſpites quomodo excipiebantur 185. eos ſalutandi formulæ 282. 320. 321. ſub Allegoria ſolis 181.
Hymenæus nuptiarum Deus 351. eius ſacrari-

rium, hoſpites, deſcriptio, concilium 351 & ſeq;.

I.

Iulius III. Pont Max. 5.
Ioannes Chodkiewicz Palat. Vil. 175.
Ioannes Moſzynski 178.
Ioannes Caſimirus Rex Pol. 302.
Ioannes Sapieha Marſchal M.D.L: 300.
Iſabella Sapiezanka Dux in Kleck 344. 354.
Ioannes Sapieha M.D.L. Secret. 364.
Ioannes Radivilus Dux in kleck 361.
Ioannes Sapieha M.D.L. Cancel: 265
Ioannes Sapieha Capitan. Vſwiat. 366.
Ioannes Sapieha Archimar. M.D.L. 367.

Imagines deformes prototypo, ignominioſæ 349.
Incantationes Moſchorum belli tempore 216.
Iuuentutis indolem Brachmanes quomodo explorabant 145.
Imago B.V.M. in triumpho ducta 77.

L.

Leo Sapieha Pal. Vil. 171. 367.
Ludouica Gonzaga Reg. Pol. 31. 35.

Laus Munificentiæ. 3.6.7.11.41.42.197. 337. Benignitatis 5.7.14.37.42.44. Zeli. 11.14 96. 163. 333. immaculatæ Conceptionis aſſertæ 10. Canoniſationis SS. 15. Humanitatis. 3. 19.

19. 186. Hoſtis deuicti. 20. 23. 85. Clementiæ 21. 30. 72. Pietatis 22. 23. 24. 73. 94. 259. 380. Iuſti belli. 25. 28. in bello celeritatis. 27.
Magnorum Nataliũ 32. 323. 117. 121 128. 242. Pacis felicis 33. 46. 123. Boni principis. 36. 37. 72. 38. Honorum dignè collatorum 39. 41. acceptorum 323. 415. ſapientiæ. 40: iuſtitiæ 44. Poloniæ 87. cultus SSmæ Euchariſtiæ 105.
Domus Auſtriacæ 103. 140. Radiuilianæ 177. 358. Lubomirſcianæ 244. Sapiehanæ. 363. Donhoffianæ 374. Offolinianæ 370. Leſczyniorũ 382. Opaliniorum 382. Koniecpolſciorum. 382.
A Comparatione 47. ab amore literarum 49. A pace, rebus benè geſtis. 53. A Republ. benè gubernatâ. 53. A publici boni amore 56. à publicis operibus, & munitionibus 59. A vigilantia 106. 188. 261. Ab indole 144. A nomine. 131. ab adoleſcentia benè acta 162. 164 ab Eloquentia 195. 338. A virtute in. Genere 238. à religione ſuſcepta 404 A morte fortiter obita 397. à literis reſtauratis 161. à peregrinatione ad exteros 340. ab eruditionis amore 49.
Leo, Religionis cuſtos 107. 110. impunè non laceſſitur 107.
Lex vitæ, Princeps 115.
Literæ, fidei & Religionis præſidium. 172.
Mar-

M.

Marcellus II. P.M. 7.
Martinus Szyſzkowski. E. Crac. 174.
Michael Pac. Caſtel. Vil. Dux Ex. 214.
Michael Dux Radziwił 544. 353.
Michael Dux Radziwił Palat. Vil. 218.
Martinus Giedroic Palat. Mſciſ. 410.

Magnorum magna ruina 396.
Merita nunquam ſeneſcunt 282.
Macedo à nemine ſalutari volebat 186.
Moſchorum Dux Michael moriens, à bello contra Polonos filium dehortatur. 26.
Mors quid! 90. fælix quæ? 91. diſcernit vera à falſis 396. per illam quomodo viuitur 342.
Mundi fallacia 395.

N.

Nicolaus Chriſtophorus Radziwił Pal. Vil. 173.
Nicolaus VI. Radziwił Archimars M. D.L. 360.

Natalis diei auſpicia 118. debetur ipſe parentibus, ſed conſeruatio ſoli Deo 342. eius gratulatio. 334.
Naturæ ingenium prouidum 117. 323. 335. 342. 344.
Nobilitas ſanguinis, nobilitatem meritis vehit 121.

No-

Nomina, felicitatis omina 133. 137. magna, onerosa. 330. 331. eorum immortalitas quæ 238. 240.
Nuptiales dies feſti 422. nuptiales ædes 380. limē ſacrariū 382. ānuli 383. quid gēma in annulo ibid. Menſa nuptialis 385. dapes 387. ſacra nuptialia 388. ignis & aqua ante ſponſos 389.

P.

Paulus III. P.M. 3.
Pius IV. P.M. 8.
Pius V. P.M. 9.
Paulus V. P.M. 14.
Paulus Sapieha Palat. Vil. 206.
Paulus Sapieha Caſtr. Met. 268.
Petrus Tryzna Pal. Parn. 176.

Par pari optimè congruit. 373.
Perfidia nunquam tuta 60.
Pietas Principum, incremenum regnorum 80. eorum opes quæ. 42.
Poloni campeſtria amant prælia 62. virtute pugnant. 99. 153.
Pii V imago à flammis illæſa 10

S.

Sigiſmundus III. Rex Pol. 64. 138.
Sigiſmundus II. Rex. Pol. 138.
Sigiſmundus I. Rex Pol. 137.
Si -

Sigiſmundus Caſimirus Princeps Pol. 67.
Stanislaus Hoſius S.R.E. Cardin. 175.
Stanislaus Radziwił M.D.L. Cancel. 177.
Stanislaus Radziwił Samog. Gener. 360.
Stephanus Sapieha Notar. M.D.L. 365.
Stanislaus Koniecpolski Dux Gen. Exer. Pol. 382.
Szwerinianorum Heroū nomina 428. illis iunctæ familiæ 431.

Sacerdotalis dignitas maxima 408.
Senatus Polonus Regibus conſtat 97.
Sigiſmundus I. à Turcarum Imperatore Pater appellatus 137.
Societas IESV, quo ſtatu Vilnam inuenit 166. cur aduocata 168. in eius aduentu Nobilis Caluini, Caiphale vaticinium. 180.

T.

Thomas Sapieha Palat. Novog. 268.

Templa quibus pro coloſſis! 98.
Traiani lenitas, in ſe crudelis 47.
Triumphus in translatione D. Caſimiri 77.
Turcæ à Vladislao IV. pacem petunt 60.

V.

Vrbanus VIII. P.M. 15.
Vladislaus IV. Rex Pol. 20. in Angum

Vap

Virtus robur principum 51. accuſatur, ſed libera eſt 285. latere non poteſt 323. ardua. 350. naturæ vindex 395. Priuata minus glorioſa 372. maiorum, eſt incitamentum poſteris. 205.
Viri clari immortales 239. 240. 350.
Vultus animi index 144.

AD MAIOREM DEI GLORIAM BEATISSIMÆQVE VIRGINIS MARIÆ IMMACVLATE CONCEPTÆ HONOREM,

AD LECTOREM.

Olim quæ dederam, cum rurſum
profero ſcripta,
Tu meliora cupis, da meliora, licet.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by